DE
PHILOSOPHIAE ANNAEANAE GRADIBUS MUTATIONIBUSQUE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIEDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS SPIE
REGIMONTANUS.

HALIS SAXONUM,
FORMIS KAEMMERERIANIS
MDCCCC.

PARENTUM MEMORIAE SACRUM.

Mirandum in modum fortuna in philosophi Cordubensis rebus dominata est: amor odiumque, quae vivi vestigiis insistebant, vel a mortuo recedere noluerunt, idem clamorum in diversa vocantium strepitus, qui educatoris praepotentis caput circumsonabat, etiam Manes exagitare et quasi in ius vocare non desiit. Sed sive ingenii praestantia altitudineque animi capti admirabantur homines sive ardore in vitam moresque minutius scrupulosiusque inquirendi ducti obtrectabant, sive scripta eius cum evangelii lumine comparantes extollebant sive ut popularis illius temporis philosophiae quisquilias deprimebant: in hoc uno omnes consentiebant, sententias ipsas ut unius auctoris ita unius consilii mentisque esse. Sin autem philosophus hic illic sibi non constare vel secum dissentire videbatur, quae excusatio magis in promptu esse poterat quam ab ingenio tam mobili abundantique consensum concentumque sui abhorrere? Nec profecto negari potest, in scriptis eius, praesertim in varietate mutabilitateque epistolarum, satis magnam crebramque sententiarum discrepantiam inveniri; quid enim homini tam acuto et subitis inopinatisque cogitationibus admodum obnoxio accidere non potuit? Nihilominus longe aliter atque in talibus inconstantiae erroribus in iis sententiarum diversitatibus res se habet, quae ad ipsos philosophiae Annaeanae gradus et quasi processus revocandae mihi esse videntur. Ubi enim veram philosophi naturam accuratius cognoscere sacrisque eius melius initiari possumus quam in iis muta-

tionibus, quae animi ad altiora tendentis studiis paulatim nascuntur? Quibus investigandis explicandisque duae quidem res obstant: exiguum temporis spatium, in quod scripta, quae supersunt, cadunt, et ipsa scriptorum paucitas. Nam si sextum dialogum, quod verisimile est, paulo ante exilium anno p. Chr. n. 41 adscribimus, non plus quam viginti tres vel quattuor anni usque ad mortem (a. 65) efficiuntur; apparet autem, tam brevi tempore et aetate iam firmata fieri non potuisse, ut tota animi ratio voluntasque converterentur et philosophus aliam, ut ita dicam, personam indueret. Accedit quod scriptorum paucitas in quamlibet philosophiae Stoicae partem inquirere singulosque eius gradus detegere prohibet: electio quaedam habenda est. Verum etiam hac si non perfectione, at conatu tamen atque adumbratione symbolam fortasse haud parvam ad philosophiam Annaeanam illustrandam me dare posse spero. Quo facilius autem ea, quae sequuntur, intellegantur, indicem scriptorum pro temporum ordine digestorum subiungere mihi liceat:

I. Ad Marciam (dialogus VI) a. p. Chr. n. 41.
Ad Helviam (dial. XII).
Ad Polybium (dial. XI).

II. De brevitate vitae (dial. X). a. 49.
De clementia libri II.
De ira libri III (dial. III—V) a. 54—62?
De constantia sapientis (dial. II).
De vita beata (dial. VII) a. 58?
De tranquillitate animi (dial. IX) ante a. 59.

III. De otio (dial. VIII) a. 62.
De beneficiis libri septem.
De providentia (dial. I) a. 62?
Naturalium quaestionum libri septem a. 62/63.
Epistolarum moralium libri viginti.

Fundamenta doctrinae Stoicae metaphysicae raro quidem a Seneca attinguntur, nihilominus hoc pro certo ponam: ut in ultimis, quae extant, scriptis optimo iure locuples harum rerum auctor philosophus noster habendus est, ita in

prioribus haec laus haud exiguam in partem ei deneganda esse videtur; verba non ad normam dirigit, ubertate potius ingenii adductus nonnulla ex arbitrio ita exornat mutatve, ut a iustis germanisque Stoicorum sententiis longe abhorreat. Cuius rei comprobandae labore sagacitas quorundam virorum doctorum effecit, ut aliqua ex parte supersedeam. Quos non fugit, pravum quoddam verbum iudiciumque in octavo duodecimi dialogi capite latere. Hic enim legimus: „Id actum est, mihi crede, ab illo, quisquis formator universi fuit, sive ille deus est potens omnium sive incorporalis ratio ingentium operum artifex sive divinus spiritus per omnia maxima ac minima aequali intentione diffusus sive fatum et inmutabilis causarum inter se cohaerentium series: id, inquam, actum est, ut in alienum arbitrium nisi vilissima quaeque non caderent.“ Primus Maximilianus Heinze (die Lehre vom Logos in der griechischen Philosophie. Oldenburg 1872 p. 90), tum Ed. Zeller III, 1^3 1880 p. 145 adn. 1), tum Adolphus Bonhoeffer (die Ethik des Stoikers Epiktet. Stuttgart 1894 p. 284) una mente in verbis ‚incorporalis ratio‘ offenderunt eaque cum vera certaque huius sectae disciplina nullo modo consentire censuerunt. Notissimum enim Stoicorum illud dogma est, omnia, quae faciant, etiam summas omnium rerum causas, corpus esse. Quod cum Seneca postea in epistolis (117,2) suum faciat itemque in naturalibus quaestionibus (I prol. 4) deum totum rationem esse contendat, deus autem de Zenonis Chrysippique sententia corpus sit, quid meliore iure expectamus quam rationem quoque in corporibus duci? Unus Anathonius Aall (Der Logos. I. Lips. 1896 p. 110 sq.) refragari et verba illa defendere conatus est; huius viri docti sententiam in controversiam adducere mihi liceat. Hoc unum praemittam: Cum A. Aall acriter in istas, quas usus recepit, aequationes dei, fati, rationis, providentiae etc. invehitur, concedatur sane, Stoicos non haec omnia confudisse et occulta quaedam vestigia distinctionum deperditarum superesse: at nihil hoc ad rem attinet. Qnamvis distinctae enim notiones illae inter se fuerint, nihil impedit, quominus

uni notioni i. e. corporis subiectae sint. N'titur autem contraria Anathonii Aall sententia in Aetii quodam loco: „*Οἱ ἀπὸ τῶν ἀρχαίων τῶν περὶ τὰ σώματα ἀσωμάτων λόγων ἅπερ ἤδη σχήματα προσαγορεύουσι*" (Diels doxogr. gr. p. 395), ubi verbis: *οἱ ἀπὸ τῶν ἀρχαίων* vetustiores Stoicorum magistros denotari putat. At his verbis, ex quorum interpretatione omnia pendere videntur mendum subesse Hermanns Diels affirmat conicitque *οἱ ἀπὸ τῶν μαθημάτων* scribendum esse, ut audiatur *γενέσθαι τὰς αἰσθήσεις*. Quae coniectura aeque ac titulus eius capitis: *περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν*, satis indicant, totam sententiam non in physicam, sed in logicam vel dialecticam philosophiae Stoicae partem cadere. In hac autem tota res aliter se habet: hic optimo iure *λόγοι* illi *ἀσώματοι* dicuntur. Unum Sexti Empirici locum afferam: „*Εἰ μὲν γὰρ λεκτόν ἐστιν ὁ λόγος καὶ ἀσώματος, ὥς οἱ Στωϊκοί φασιν, ὁ λέγων διὰ λόγου καταλαμβάνεσθαι τὰ σώματα τὸ ζητούμενον συναρπάζει. Ζητούντων γὰρ ἡμῶν, εἰ δύναταί τι ἀσώματον καταλαμβάνεσθαι, αὐτὸς ἀσώματόν τι λαβὼν ἁπλῶς διὰ τούτου τὴν κατάληψιν τῶν ἀσωμάτων ποιεῖσθαι θέλει κ. τ. λ.*" (*Πυῤῥων. ὑποτυπ. Γ.* 52 ex rec. Imm. Bekker p. 132). Apertum est hic non de rebus physicis vel metaphysicis, non de rebus, quae sunt vel faciunt, sed de iis agi, quae animum suis de se ipso cogitationibus occupant. Hic autem quid mirum, si de rebus incorporalibus Stoici loquuntur? Si illud *λεκτόν*, quod Seneca enuntiativum quiddam de corpore nominat ipsique corpori opponit (ep. 117,13), incorporale quoddam est? (cf. etiam Sext. Math. VIII, 406, 409: *τὰ ἀσώματα λεκτὰ οὐ ποιεῖ τι οὐδὲ φανατασιοῖ ἡμᾶς, ἀλλ' ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ ἐπ' ἐκείνοις φαντασιούμενοι.* Zeller III,1[3] p. 77 et 86; Werner Luthe: Die Erkenntnislehre der Stoiker. Lips. 1891 p. 36.). Aliud documentum, quo incorporalis quarundam rerum natura comprobetur, *σῶμα ἄποιον* Stoicorum est: ubi enim omnes rerum qualitates desunt, quid hic potest esse residui? At Simplicius, ex cuius commentariis in Aristotelis Physicorum libros (50,2) A. Aall hanc vocem depromit, diserte et plane eam non ad res, quae in mundo semel

constituto sunt, sed ad *πρωτίστην* illam *ὕλην* refert, ad primam inordinatamque materiam; praeterea non solum Stoicos, sed etiam Platonem, Aristotelem, ex recentioribus Periclem Lydium (cf. Zeller III, 2 p. 757) talem materiam posuisse commemorat (cf. etiam Jo. Philoponus de aeternitate mundi contra Proclum ed. Rabe p. 345,24 et 409,23). De Stoicis ipsis autem idem Simplicius hoc tradit: „*Σώματα γὰρ πάντα λέγειν δοκοῦντες καὶ τὰς ποιότητας καὶ τὴν ψυχήν κ. τ. λ.* (123 p. 12.).“ Ceterum inter rudem indigestamque materiam, unde mundus formatur, et potentiam omnia moventem fingentemque, aeque scilicet corporalem, acriter distinguunt Stoici: „*τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν τὴν ὕλην· τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν* (Diog. Laert. VII, 134).“ At ipsa rerum principia nonne incorporalia vocantur? Diogenes Laertius enim in eodem libro (VII, 134) hunc locum ex Cobeti recensione praebet: „*Διαφέρειν δέ φασιν ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα· τὰς μὲν γὰρ εἶναι ἀγενήτους καὶ ἀφθάρτους, τὰ δὲ στοιχεῖα κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν φθείρεσθαι. Ἀλλὰ καὶ ἀσωμάτους εἶναι τὰς ἀρχὰς καὶ ἀμόρφους, τὰ δὲ μεμορφῶσθαι.*“ Verum inspicias, quaeso, codices veteresque editiones: pro *ἀσωμάτους* invenies *σώματα*. Quid igitur in causa fuit, cur mutaretur? Suidae et Js. Casauboni auctoritas. Ille enim sub *ἀρχή* eundem quem Diogenes locum profert, nisi quod *σώματα*, quod hic codices habent, in *ἀσωμάτους* mutavit. Quodsi Suidas Diogenem exscripsit (cf. Walther Volkmann: Quaestionum de Diogene Laertio cap. I 1890 p. 9 sq.) suo arbitratu verbum depravavit, ut sermonem concinniorem redderet; sin minus, ex eodem quo Diogenes fonte hausit: nullo autem modo certa incertis postponere licet. Suidam postea Casaubonus in editionis, quam Meibomius curavit (Amsterdam 1692) annotationibus secutus est, praeter illum testem rem ipsam hanc mutationem desiderare affirmans; sed ne Meibomius editor quidem tam facile ad credendum impelli potuit; primus Cobetus mutare ausus est, perperam sane: utique ad codicum fidem redeundum et *σώματα* restituendum esse putaverim. Restat Origenis

quidam locus (contra Celsum VI, 7), qui, etsi planis verbis *λόγον πνεῦμα σωματικόν* esse declarat, locuples testis ab adversario nostro non admittitur. Verba autem haec sunt: „*Κατὰ μὲν οὖν τοὺς ἀπὸ τῆς στοᾶς . . . καὶ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ὁ μέχρι ἀνθρώπων καὶ τῶν ἐλαχίστων καταβαίνων οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ πνεῦμα σωματικόν*“ (Zeller III, 1[3] p. 142). Hunc locum cum Heinze a sincera philosophiae Stoicae forma longius remotum posteriorum temporum colorem traxisse tum A. Aall Christianorum opinionibus imbutum esse putaverunt. Licet vero non omnino ex puro liquidoque antiquitatis fonte Origenes hauserit, tamen ipsa elementorum insociabilium permixtio documento esse potest, aliquid integri incorruptique conservatum esse. Sint verba *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ* non ex recta loquendi consuetudine Stoicorum veterum (vide autem *ὁ τοῦ Διὸς λόγος* Plut. de Stoic. repugn. 47, 1056 C.), certe verba *ὁ μέχρι ἀνθρώπων καὶ ἐλαχίστων καταβαίνων* non ad imaginem referenda sunt, quam de incarnatione Christi auctor animo conceperit, sed ad dogma istud Stoicorum, secundum quod spiritus divinus per omnia maxima et minima diffunditur (dialog. XII, 8). Nihil utique obstat, quominus re ipsa, cum rationem spiritum quendam corporalem esse affirmat, veram Stoicorum sententiam Origenes expresserit. Nam ea, quae temporum iniquitatem superaverunt huius rei vestigia nonne quam proxime ad hanc sententiam accedunt? Supervacaneum est in locorum, qui huc pertinent, turbam descendere: notissimi sunt; pauca eligam. Eusebius in praepar. evang. Porphyrium contra Boethum hoc scripsisse tradidit: „*Ἐπεὶ δὲ τὰ σώματά ἐστι φύσει τεθνηκότα καὶ νεκρὰ καὶ πεφορημένα καὶ οὐδ᾽ ἐν ταὐτῷ μένοντα, ἆρ᾽ οὐχὶ τοῦ καθέξοντος αὐτοῖς δεῖ; . . . . . τί οὖν ἐστι τὸ κατασχῆσον; εἰ μὲν δὴ καὶ τοῦτο εἴη σῶμα, Διὸς σωτῆρος δοκεῖ ἄν ἐμοὶ δεηθῆναι αὐτὸ παραλυόμενον καὶ σκιδνάμενον· εἰ μέντοι χρὴ αὐτὸ ἀπηλλάχθαι τῆς τῶν σωμάτων πάθης, ἵνα κἀκείνοις κεχυμένοις τὴν φθορὰν ἀμύνειν δύνηται καὶ κατέχῃ, ἐμοὶ μὲν οὐ δοκεῖ ἄλλο τι εἶναι ἢ μόνον γε τὸ ἀσώματον κ. τ. λ.*“ Apparet Porphyrium, si quid unquam de incorporea rationis

natura in notitiam eius pervenisset, praesertim cum paulo post Zenonem, Cleanthem, Chrysippum commemoret, non defuturum fuisse, quin arma, quibus Stoicos incesseret, ab ipsis mutuaretur Similia argumenta ex silentio conclusa facile ex aliis scriptoribus colligi possunt. Quid Plutarcho in scriptis *περὶ στωικῶν ἐναντιωμάτων* et *περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωικοὺς* optatius esse potuit quam post verba: „*ἄτοπον γὰρ εὖ μάλα τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς κακίας, πρὸς δὲ ταύταις τὰς τέχνας καὶ τὰς μνήμας πάσας, ἔτι δὲ φαντασίας καὶ πάθη καὶ ὁρμὰς καὶ συγκαταθέσεις σώματα ποιουμένους κ. τ. λ.*“ (de commun. notit. 45 A, 1084) addere *λόγον* dementer non in corporibus duci? Tot saeculorum scriptores, haud raro malevolos, num fugisse credibile est, hiantia locutos esse Stoicos, cum omnia, quae facerent, corpus esse statuerent (*πᾶν γὰρ τὸ δρῶν ἢ καὶ ποιοῦν σῶμα.* Aetii Plac. IV, 20, Diels dox. p. 410), cum ipsum *ἡγεμονικόν* corpus esse dicerent (Sext. Math. VII, 38), cum rationem causam omnium rerum efficientem vel artificem universitatis appellarent (Stob. ecl. I, 180. Alex. Aphrod. de fato C, 22. Chalcid. in Plat. Tim. 291. Tertull. apolog. 21, I p. 198 Oehler, alii) et cum nihilo minus rationem corpus esse negarent? Sed, ne longior sim, haud feliciter Anathonius Aall contrarias partes sumpsisse mihi videtur recedendumque putaverim ad doctorum illorum, quos nominavi virorum, iudicium, secundum quod Seneca malo Stoicorum tirocinio imbutus fuit, cum securus de perspectis exploratisque eorum placitis incorporalem rationi naturam adscriberet. Aliquid sane admirationis habere potest, quod philosophus omnino in talem errorem incidit. At si observare velis, quam verbose et operose posteriorum saeculorum scriptores eas res ad intellegentiam aequalium accommodare studuerint (v. Origen. in ep. ad Roman. commentariorum lib. III, 1 ed. Lommatzsch tom. VI, p. 169), suspicio oritur iam Neronis aetate in eiusmodi quaestionibus perobscuris intellegendi prudentiam sensim decrevisse. Sed hoc ad iuvenem solum, non ad senem attinet. In epistolis enim satis instructum

eum esse hac scientia ubique videmus. Inmortalia quidem corpus esse ex ep. 58, 14 sequitur: „Corpus quomodo divido? Ut dicam: aut animantia sunt aut inanima. Rursus animantia quemadmodum divido? Ut dicam: quaedam animum habent, quaedam tantum animam .... Rursus animalia in quas species seco? Aut mortalia sunt aut inmortalia.“ Nihil ergo tam perspicuum, quam inmortalia in corporibus duci. (cf. Sext. Math. VIII, 11. Zeller III, 1^3 p. 92). Rationem quoque corpus esse, facile ex epistularum 76, 10 cum 106,30 et 117,2 collatione concluditur. Nam cum illic ratio virtus et honestum et solum bonum, hic bonum corpus sit, quid evidentius, quam rationem ipsam corpus esse? Porro si totus deus, qui omnia facit, ratio est (nat. quaest. I prol. 14), si quicquid facit eo usque corpus est (ep. 117, 2), ut etiam sapientia, qua permulta fiant, corpus vocari possit (ib.), quidni rationem ipsam, quae pars divini spiritus in corpus humanum mersa (ep. 66, 12) et hominibus cum dis communis est (ep. 92, 27), cuius auxilio omnia sibi homo subicere potest (ep. 37, 4), in corporibus numeremus? Certe in postremis scriptis quam proxime ad hoc Stoicorum decretum accessit.

At etiam *πνεῦμα* vel spiritus philosophi nostri in similem offensionem cadit. Nullo enim pacto, si subsequentia eiusdem loci verba attentius inspicias, verus et disciplina sua imbutus Stoicorum discipulus asseverare potuit, divinum spiritum „per omnia maxima et minima aequali intentione“ diffusum esse. Chrysippus enim et Posidonius, si Diogeni Laertio fidem habemus, hoc docuerunt: „*Τὸν δὴ κόσμον οἰκεῖσθαι· κατὰ νοῦν καὶ πρόνοιαν, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ προνοίας καὶ Ποσειδώνιος ἐν τρισκαιδεκάτῳ περὶ θεῶν, εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ, καθάπερ ἐφ᾽ ἡμῶν τῆς ψυχῆς· ἀλλ᾽ ἤδη δι᾽ ὧν μὲν μᾶλλον, δι᾽ ὧν δὲ ἧττον* (ζ 138).“ Apparet intentionem spiritus prorsus inaequalem esse, prout in propiores vel remotiores partes dimittitur. *Νοῦν* enim idem hic significare quod *πνεῦμα* exploratissimum est. Haud recte igitur Senecam in duodecimo dialogo de natura

spiritus iudicavisse putaverim. Quem opinionis errorem aetate longius provectus excussit sibi radicitus, ut ex uatur. quaest. VI, 16 sequitur, ubi bifariam spiritum dividit: in vitalem, vegetum, omnia alentem et eum, quo terra se tenet ac partes sui iungit, qui inest etiam saxis mortuisque corporibus. Intentio utriusque diversa est (nat. quaest. II, 6; Ludov. Stein: Die Erkenntnistheorie der Stoiker. Berliner Studien VII, 1888 p. 129). Valentior spiritus imprimis animis inest et hic quoque inaequali intentione (ep. 66, 12). Imbecillior autem idem est quod *ἕξις* vel *δύναμις συνεκτική* Stoicorum, quae exempli causa in Achillis Tatii isagoge in Arati phaenomena cap. 14 occurrit: *Ἔστι δὲ ἕξις πνεῦμα σώματος συνεκτικόν* (cf. Sext. Emp. M. IX, 81; Diog. Laert. VII, 139; Zeller III, 1[3] p. 97; Ludov. Stein: Die Psychologie der Stoa. Berl. Stud. III, 1886 p. 143). Quodsi spiritus campus, quo evagari possit, tam amplus est, ut omnibus rerum naturalium mutationibus vicissitudinibusque intersit vel potius praesit, quid mirum, si etiam vis quaedam, qua reciprocari et quasi in gyrum flecti queat, a Stoicis ei adtribuitur? Ita apud Philonem Alexandrinum (opera ed. Wendland, tom. II, 1897 p. 64) legimus: „*Τῶν γὰρ σωμάτων τὰ μὲν ἐνεδήσατο ἕξει, τὰ δὲ φύσει, τὰ δὲ ψυχῇ, τὰ δὲ λογικῇ ψυχῇ. Λίθων μὲν οὖν καὶ ξύλων, ἃ δὴ τῆς συμφυΐας ἀπέσπασται, δεσμὸν κραταιότατον ἕξιν εἰργάζετο* (scil. *θεός*)· *ἡ δέ ἐστι πνεῦμα ἀναστρέφον ἐφ᾽ ἑαυτό· ἄρχεται μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν μέσων ἐπὶ τὰ πέρατα τείνεσθαι, ψαῦσαν δέ ἄκρας ἐπιφανείας ἀνακάμπτει πάλιν, ἄχρις ἂν ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀφίκηται τόπον, ἀφ᾽ οὗ τὸ πρῶτον ὡρμήθη.*“ (cf. Diog. Laert. ζ 138). Idem Chrysippum docuisse Stobaeus in eclogis (I, 374) testatur: *εἶναι τὸ ὂν πνεῦμα κινοῦν πρὸς ἑαυτὸ καὶ ἐξ αὑτοῦ ἢ πνεῦμα ἑαυτὸ κινοῦν πρόσω καὶ ὀπίσω.*“ Eandem autem sententiam in septimo dialogo, quem viri docti anno p. Chr. natum 58 compositum esse iudicaverunt, invenimus: „mundus quoque cuncta complectens rectorque universi deus in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum undique in se redit.“

Et hic igitur in senectutis limine philosophus noster cum sectae suae doctrina optime consentit.

Tertium eius inscientiae documentum in sexto dialogo inesse valde suspicor, ubi in cap. 25, 1 Seneca Marciam de filii morte sic consolatur: „Integer ille nihilque in terris relinquens sui fugit et totus excessit paulumque supra nos commoratus, dum expurgatur et inhaerentia vitia situmque omnem mortalis aevi excutit, deinde ad excelsa sublatus inter felices currit animas.“ Hanc animorum purgationem, licet ipsi Zellero (III, 1³ p. 201) contradicam, cum Stoicorum praeceptis minime consentire solique philosophi inventioni deberi contenderim. Qui enim loci afferri possunt, unde tale quid docuisse Stoicos comprobetur? Ut plane et latine loquar, nullus. Nam Tertulliani quidam locus (de anim. 54) onus tam grave sustinere non potest; est autem hic: „Quos quidem (scil. Stoicos) miror, quod imprudentes animas circa terram prosternunt, cum illas a sapientibus multo superioribus erudiri adfirment. Ubi erit scholae regio in tanta distantia diversoriorum? Qua ratione discipulae ad magistros conventabunt tanto discrimine invicem absentes? Quis autem illis postremae eruditionis usus ac fructus iamiam deflagratione perituris? Reliquas animas ad inferos deiciunt.“ Ut auctoris nomen haud additum locorumque diversitatem omittam, hoc maxime interest, quod hic emendatio in ipso discendi intellegendique labore ponitur, illic prorsus ab eo secernitur eique antecedit. Quid autem minus accommodatum est singulari illi morum disciplinaeque severitati, qua Stoici excellebant, quam poenae meritae remissio, quid viris usu vitae perdoctis et mente ac ratione instructis ineptius videri debuit quam purgationis illud prodigium magicis quibusdam artibus effectum, ubi vitia animi ipso fere non sentiente tolluntur? An ideo misericordiam e re publica sua Stoici eiecerant animisque hominum inculcaverant, nullum flagitium impunitum esse (ep. 97, 14), ut haec omnia in vita post mortem describenda obliviscerentur et hic quicquid obsoleti inlitique animis inhaereret, facile elui posse opinarentur

(dial. VI, 23, 1)? Et profecto omnes qui de ea re extant loci a se ipsis non descivisse Stoicos declarant: vitiosi ideoque imbecilliores animi haud ita multo post mortem intereunt, cum bonorum animi usque ad conflagrationem mundi perdurent. Ita in Arii Didymi fragm. physic. epitome 39 (Diels doxogr. p. 471) legimus: „*Τὴν δὲ ψυχὴν γενητήν τε καὶ φθαρτὴν λέγουσι* (scil. *οἱ Στωϊκοί*). *Οὐκ εὐθὺς δὲ τοῦ σώματος ἀπαλλαγεῖσαν φθείρεσθαι, ἀλλ' ἐπιμένειν τινὰς χρόνους καθ' ἑαυτήν· τὴν μὲν τῶν σπουδαίων μέχρι τῆς εἰς πῦρ ἀναλύσεως τῶν πάντων, τὴν δὲ τῶν ἀφρόνων πρὸς ποσούς τινας χρόνους.*" Idem Theodoretus (Graecarum affectionum curatio ed. Gaisford p. 198; ε, 23) testatur: „*Οἱ δὲ Στωϊκοὶ τὰς χωριζομένας τῶν σωμάτων ψυχὰς διαρκεῖν μὲν καὶ καθ' αὑτὰς ζῆν ἔφασαν, ἀλλὰ τὴν μὲν ἀσθενεστέραν ἐπ' ὀλίγον, τὴν δὲ ἰσχυροτέραν μέχρι τῆς τοῦ παντὸς ἐκπυρώσεως.*" (cf. Firmiani Lactantii divin. inst. lib. VI, 20, 8—9; Euseb. praep. ev. XV, 20, 3, alii; v. Zeller III, 1^{3} p. 201). Severius Zeno iudicavisse videtur, cui Firm. Lactantio (divin. inst. VII, 7, 13) teste hoc placuit: „Esse inferos Zeno Stoicus docuit et sedes piorum ab impiis esse discretas et illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere poenas in tenebrosis locis atque in caeni voraginibus horrendis."

Quomodo autem Senecae cogitatio tam mira in mentem venire potuit? Quid consilii secutus est? Hoc ut paucis explanem, liceat mihi sextum, in quo modo elaborabamus, dialogum cum undecimo conferre. Quorum dialogorum temporis ratio in controversia est. Friedericus Jonas (de ordine librorum L. Annaei Senecae philosophi. Berolini 1870 p. 71) quidem et Alfredus Martens (de L. Annaei Senecae vita et de tempore, quo scripta eius philosophi, quae supersunt, composita sint. Altonae 1871 p. 31) sextum dialogum tempori post exilium adscribentes intervallum septem vel certe quinque annorum effecerunt; contra H. Lehmann (Philologus VIII, 1853 p. 309 sq.) ante exsilium eum compositum esse censuerat, ut intervallum aliquanto

minus trium fere annorum inter hos dialoges exsisteret. Lehmanni iudicio etiam novissimus earum rerum interpres, Alfredus Gercke (Seneca-Studien. Jahrb. f. klass. Philol. 22 Suppl. 1896 p. 284 et 286), se applicavit, et haec sententia mihi quoque propius ad veritatem accedere videtur. Hoc si tenemus, nonne admirationem movere debet, Senecam iisdem fere annis tam diversam de inmortalitate opinionem tulisse, ut in sexto dialogo de ea non dubitet, quam in undecimo ut ancipitem in utramque partem persequitur? Marciam enim, matrem flebilem mollemque, permulcere studet omni asseveratione adfirmans, filium suum omnibus vitiis depositis caelestibus regionibus adscriptum in summis deliciis versari (c. 25, 1—2), Polybium autem, hominem aulicum versutumque, contemplatione satis frigida consolatur, fratrem defunctum aut nullum sensum habere nihilque timere, nihil pati aut, si habeat, rerum spectaculo frui. Nonne hic suspicio oritur, seriam de hac quaestione sententiam tum Senecam omnino non habuisse, immo animo fluctuavisse et opinionibus moribusque hominum pro tempore se accommodavisse? (cf. Herm. Schiller: Geschichte des römischen Kaiserreichs unter der Regierung des Nero. 1872 p. 589).

Ut igitur omnia, quae exposui, una comprehensione complectar: Seneca in primis, quae supersunt, scriptis nondum plenam physicam vel, ut nostra lingua utar, metaphysicam Stoicorum scientiam percepisse, interiores reconditioresque eius partes leviter attigisse, nonnulla pro sollertia abundantiaque ingenii audacter invenisse putandus est. Quod vero in Seneca iuvene desideramus, in sene perfectum absolutumque est: ubicumque in scriptis, quae postremis annis composuit, hanc philosophiae Stoicae partem vel strictim attigit vel verbosius explicavit, semper eruditus intellegensque earum rerum existimator cernitur. (cf. Zeller III, 1[3] p. 699). Sive de spiritu intento agit (ep. 66, 12; εὐτονία) sive de spiritu quodammodo se habente, qui πνεῦμά πως ἔχον Chrysippi est (ep. 50, 6; 113, 9; 121, 10. Plotin Ennead. IV, 7, 4 p. 458 E; cf. Ludov. Stein Erkenntnisth. p. 175) sive

summam imperii, quae principali i. e. ἡγεμονικῷ tradita est, paucis illustrat (ep. 39, 3; 66, 32; Stein l. c. p. 122) sive de gradibus, quos ἕξις, φύσις, ψυχή habent (nat. quaest. II, 10; ep. 85; cf. Cleanth. apud Cicer. de nat. deor. II, 9; Stein Psychologie p. 192) sive de aeternitate materiae (de benef. V, 8, 5; nat. quaest. II, 3, 1 et 11, 1—5; Stob. ecl. I, 322) sive de differentia disputat, quae inter ἕνωσιν et συναφήν est (ep. 102, 7; Sext. Math. VII, 102 et IX, 78; Plutarch. praecept coniug. 34; Zeller III, 1^3 p. 97 et 118), nusquam de recta philosophandi via decretisque scholae suae declinat.

Postquam exposuimus, quomodo adversus metaphysicam doctrinae Stoicae partem se gesserit, iam alia adgrediamur, Benignam uberrimamque scribendi materiam quaestio praebere solet, quatenus ad Epicuri disciplinam Seneca se applicuerit. Imprimis Oscar Weissenfelsius (De Seneca Epicureo. Progr. d. Collège Royal Français 1886) his studiis se dedit effecitque opera sua, ut Senecam ex Stoico prope Epicureum redderet, cuius mens magis magisque summa illa animi tranquillitate severoque illo gaudio impleretur. Cuius metamorphoseos imaginem vanam dispellere reique ipsi modum suum constituere coner. Volo autem, quae sentio, praemittere, quo facilius disceptationes, quae sequuntur, intellegantur: In primis dialogis de Epicuro Epicureisque Seneca omnino silet, tum, praecipue in septimo dialogo, ita in philosophia illa defendenda se continet, ut tantum falsa in eam iacta crimina propulset, postremo, ante omnia in epistulis, non dubitat quidem multa dicta cogitataque Epicuri in usus suos convertere, sed anxie sui iuris est: assentitur nonnisi in morali philosophiae parte, in omnibus rebus, quae ad rationem disciplinamque attinent, dissentit, de ipso otio non desunt loci, quibus differentia utriusque scholae eluceat.

Ac primum quidem forte evenisse, ut in primis tribus dialogis (VI, XII, XI) ne nomen quidem Epicuri occurrat et quarto (X) strictim tantummodo attingatur, vel sola verecundia commotum Senecam laudibus philosophiae tam

male audientis abstinuisse vix credendum est. Nam etsi illius temporis philosophorum animi partium studio tam vacui fuisse videntur, ut de Posidonio dici potuerit: *Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἔπεισαν αὑτοὺς (αὐτοὺς Usener) τὴν πατρίδα μᾶλλον ἢ τά δόγματα προδοῦναι, Ποσειδώνιος δὲ τὴν τῶν Στωϊκῶν αἵρεσιν μᾶλλον ἢ τὴν ἀλήθειαν* (Galen. *περὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἠθῶν* IV, 819; cf. Gercke Chrysippea p. 696; A. Schmekel: Die Philosophie der mittleren Stoa in ihrem geschichtlichen Zusammenhange dargestellt. 1892 p. 401), tamen in philosopho nostro non statim ab initio tam integrum incorruptumque iudicium viguisse crediderim. Propius fortasse ad veritatem accedemus et ipsorum quos modo attuli graduum difficultates facilius expediemus, si Senecam a puero haud exiguam sectae istius malevolentiam collegisse statuerimus. Hoc ut credamus, non modo antiquus ille rigor patris, qui maiorum consuetudini deditus philosophiam oderat (dial. XII, 17, 3—4 et ep. 108, 22), sed etiam libellus admonet, quem Sotion Stoicus, magister Senecae, contra Dioclem Magnetem scripsit. Hic enim philosophus, nullis unius disciplinae legibus adstrictus, primo a. Chr. saeculo in opere suo: *διαδρομὴ τῶν φιλοσόφων* Stoicorum Cynicorumque doctrinam reconciliare et in speciem Epicureorum assimulare studuerat, Antisthenem Epicurumque uno spiritu collaudaverat (cf. Susemihl: Geschichte der griech. Litt. in der Alexandrinerzeit I p. 509). In quem Sotion libellum composuit, cuius titulus, *Διόκλειοι ἔλεγχοι*, parum definitus suspicionem movet, in hanc ipsam confusionem eum invectum esse, fines cuiusque disciplinae artius circumscripsisse, imprimis Epicureos in hortos suos reiecisse. Qua coniectura si non aberramus, Senecam adulescentem mentis tam severae semina quaedam recepisse, pro vero germanoque Stoico, licet subtiliora non satis perspexerit, se gessisse aversumque ab Epicureis animum nonnisi sensim et gradatim deposuisse, quid admirationis habet? Quoquo modo res se habet, in primis dialogis Epicuri eiusque sectae mentionem non facit, in eo, qui deinceps sequitur (X, 14, 2) leviter transit.

Si hic, ut equidem putaverim, tacita quadam offensione commotus, quae quidem remanserat, etiam cum male existimare desierat, se continet, in proximis dialogis tantum arbiter benevolus calumniarumque vindex, nondum amicus existere ausus est. Adhuc haesitantem in criminationibus iniustis repellendis eum videmus in dial. II, 15, 4, ubi reprehensis iis, qui Epicurum mollia ac desidiosa praecipere opinentur, dictum eius, raro fortunam sapienti intervenire, ambigue laudat exclamans: „Quam paene emisit viri vocem!“ Confidentius eum defendit in dial. VII, 12, 4: „Itaque non ab Epicuro impulsi luxuriantur, sed vitiis dediti luxuriam suam in philosophiae sinu abscondunt et eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem. Nec aestimant, voluptas illa Epicuri, ita enim mehercules sentio, quam sobria ac sicca sit...“ et ibid. c. 13, 1 „In ea quidem ipsa sententia sum, invitis hoc nostris popularibus dicam, sancta Epicurum et recta praecipere et, si propius accesseris, tristia: voluptas enim illa ad parvum et exile revocatur et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati: iubet illam parere naturae . . . Itaque non dicam, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse, sed illud dico: male audit, infamis est, et inmerito“.

Longe aliam, ut dixi, rationem in postremis scriptis sequitur: congruit cum Epicuro in omnibus rebus, quae ad recte vivendum virtutemque praestandam adhortantur, adversatur ei in iis quaestionibus, quae ad disciplinam rationemque utriusque scholae attinent. Epicurum quidem ipsum vitaeque eius exemplum semper laudibus effert, velut ep. 33, 2, ubi profitetur: „apud me Epicurus est fortis, licet manuleatus sit“, vel ep. 66, 47, ubi fortitudinem eius praedicat, qui diem maximorum corporis dolorum beatum dixerit (cf. ep. 92, 25), vel ep. 18, 9, ubi abstinentiam eius laudat, qui certos dies sibi elegerit, quibus maligne famem exstingueret. Assentitur in simplicibus monitionibus: ne adversus praeterita simus ingrati (de ben. III, 4, 1) vel mortem ne timeamus (ep. 30, 14); iudicium eius probat in

crebris illis dictis, quae sub finem epistularum tanquam diurna quaedam munuscula cum Lucilio communicat, sive laetam paupertatem rem honestam sive unici amici conversationem satis magnum theatrum sive in necessitate vivere nullam necessitatem esse dicit — in omnibus denique rebus ab Epicuro stat, quae libertatem animi a rebus externis, elationem magnitudinemque eius praedicant. Haec vero, ut ita dicam, frons est: omnia commutata sunt, ubi interiora inspexeris i. e. ea, quae ab artis doctrinaeque perceptis proficiscuntur; ibi ex defensore adversarius fit. Quam vehementer in delicatam et umbraticam Epicureorum turbam invehitur, ubi ratio, quae inter virtutem voluptatemque intercedit, in quaestionem vocatur, et quam caute considerateque ibi agit, ne Stoici statu suo demoveantur et primis postrema praeferantur (de benef. IV, 2; similiter ep. 85, 18)! Quam acute virtutem grati animi eis abiudicat, qui eum deum colere velint, cui omnem antea beneficiorum tribuendorum potentiam detraxerint (de benef. IV, 19)! Quam adstricta verborum comprehensione quid maxime intersit inter Stoicorum Epicureorumque decreta planum facere studet (ep. 90, 35)! Et ne quis existimet, educationis consuetudinisve quodam vitio ei talia succurrisse vel excidisse, duarum epistularum, quarum altera alteram excipit, exemplum adiungere mihi liceat, unde appareat, quam suspectus sibi ipse fuerit, si quando Epicuro adsensus esset. In ep. 66, 18 demonstrare studet, sapientem, qui honeste aliquid facturus sit, quicquid a fortuna opponatur, malum id non putaturum esse: ad Epicurum provocat affirmantem, sapientem, si quando in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: ‚dulce est et ad me nil attinet'. Cuius dicti acutas ineptias — nam de re ipsa inter utrumque nulla dissensio est — non quidem comprobat Seneca, immo reicit, at quam levi censura! Incredibilia esse dicit. Huic loco conferas, quaeso, ep. 67, 15, ubi iisdem Epicuri verbis allatis multo acerbiorem iudicem se praebet, cum dicit: „Ego tam honestae rei ac severae numquam molle nomen

imponam" et similem quandam vocem: „Uror, sed invictus" ita infirmat: „Quidni optabile sit? Optabile autem non quod urit me ignis, sed quod non vincit." Res apertissima est: scrupulus quidam nimiae indulgentiae in animo philosophi resederat primamque sui ipsius corrigendi occasionem arripuit.

Etiam quae de otio sensit praecepitque, caveamus, ne cum regula Epicuri λάϑε βιώσας confundamus; nihil fallacius nominibus est Otium, in quod Seneca clarissimos Stoicorum magistros secutus se refert, non voluntarium, sed invito ingestum est; industrio enim otium poena est (dial. I, 2, 2). Quod autem potissimum est, etiam tum magna quaedam molitur propositumque tenet, quod longissime ab intellegentia sensuque Epicuri disiunctum est: ut hominibus prosit. „In hoc, inquit, me recondidi et fores clusi, ut prodesse pluribus possem.... Secessi non tantum ab hominibus, sed a rebus, et imprimis a rebus meis: posterorum negotium ago. Illis aliqua, quae possint prodesse, conscribo. Salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones litteris mando.... Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro." (ep. 8, 2; cf. ep. 6, 6). Haec cogitatio senescentem et de salute publica desperantem erexit novaque spe implevit. Jam in nono dialogo talia eloquitur: „Ita tamen delituerit (scil. sapiens), ut ubicumque otium suum absconderit, prodesse velit singulis universisque ingenio, voce, consilio. Nec enim is solus rei publicae prodest, qui candidatos extrahit et tuetur reos et de pace belloque censet, sed qui iuventutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia virtutem instillat animis, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentis prensat ac retrahit et, si nihil aliud, certe moratur, in privato publicum negotium agit" (3, 3; cf. 4, 7). Item in octavo dialogo, quem O. Weissenfelsius aeque ac nonum Epicuri mentem spirare putat (Lukrez und Epikur. Neues Lausitzisches Magazin, tom. 65. Görlitz 1889), legimus: „Quo animo ad otium sapiens secedit? Ut sciat se tum quoque ea acturum, per quae posteris prosit.

Nos certe sumus qui dicimus et Zenonem et Chrysippum maiora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent: quas non uni civitati, sed toti humano generi tulerunt. Quid est ergo, quare tale otium non conveniat bono viro, per quod futura saecula ordinet nec apud paucos contionetur, sed apud omnes omnium gentium homines, quique sunt quique erunt?“ Quantam vero operam curamque in moribus familiarium duorum emendandis conformandisque consumit! Quamvis nesciat, an profecturus sit, sibi successum quam fidem deesse mavult (ep. 25). Nam „sapientia ars est: certum petat, eligat profecturos, ab his, quos desperavit, recedat, non tamen cito relinquat et in ipsa desperatione extrema remedia temptet. Marcellinum nostrum ego nondum despero. Etiamnunc servari potest, sed si cito illi manus porrigitur....“ (ep. 29, 3—4). Hunc animum plenum amoris sollicitudinisque num putamus eum in latebris suis coluisse, qui nullam esse humanam societatem ratus (Lactant. divin. instit. III, 17, 42; Arrianus Epict. diss. II, 20, 6; cf. de benef. VII, 1, 7; ep. 9, 17; 95, 52 alii loci) ipsam amicitiam ob voluptatem utilitatemque petendam esse censuerat? (Diog. Laert. X, 120; Cic. de fin. II, 25, 80 et 26, 82; cf. Usener Epicurea p. 318 et 324).

Jam transeamus ad singula philosophiae Annaeanae capita in primisque quaeramus, quam dei notionem pro temporum varietate mente sibi finxerit. Et in primis quidem dialogis vim potestatemque deorum solum in summa totius mundi dominatione regnoque ponere videtur. Restant quaedam eius rei vestigia: deus „potens omnium“ et ratio, quae idem quod deus est, „ingentium operum artifex“ appellatur. Qua re dei hominibus praecipue bona externa commodant (dial. VI, 12, 4; de clem. I, 5, 7). Nihilominus artius quoddam societatis cognationisque vinculum etiam in primis dialogis occurrit, sed non idem quod postea. In dial. XII, 6, 6 legimus: „Mobilis enim et inquieta homini mens data est: numquam se tenet, spargitur et cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga et quietis impatiens et novitate rerum

laetissima. Quod non miraberis, si primam eius originem adspexeris: non est ex terreno et gravi concreta corpore. Ex illo caelesti spiritu descendit. Caelestium autem natura semper in motu est, fugit et velocissimo cursu agitur. Adspice sidera etc.“ Num haec eadem coniunctio inter deos hominesque est, quae in ep. 92, 30—31 invenitur? „Quid est autem, inquit, cur non existimes in eo divini aliquid existere, qui dei pars est? Totum hoc, quo continemur, et unum est et deus: et socii eius sumus et membra.... animus.... in hoc a natura rerum formatus est, ut paria dis vellet... Cum hoc iter nanctus est, vadit audaciter contemptor omnium: nec ad pecuniam respicit aurumque etc.“ Discrimen patet: illic societas illa initium capit a naturali quodam cognationis vinculo, hic a perceptione numinis voluntatisque deorum et assensione, illic in iis rebus nititur, quae sensibus comprehendi possunt, hic in iis, quae in conspectum non veniunt, fructus illic inquisitio et pervestigatio rerum naturalium, hic amor studiumque virtutis est. Jam Heraclitus in dicto illo: *ἄνθρωποι θεοὶ θνητοί, θεοὶ δ᾽ἄνθρωποι ἀθάνατοι* (Heracliti Allegoriae Homericae, ed. E. Mehler. Lugdun. Batav. 1851 p. 51) aetatis spatio excepto omnem inter immortales mortalesque differentiam sustulerat. Nihil aliud Seneca in ep. 53, 11 profert: „Quaeris, quid inter te et illos (scil. deos) interfuturum sit? Diutius erunt.... Tantum sapienti sua, quantum deo omnis aetas patet.“ Quin etiam quodammodo sapiens deo antecellit: „Est aliquid, quo sapiens antecedat: ille beneficio naturae non timet, suo sapiens (ib.).“ Videmus igitur, naturam eius cognationis paulatim aliquantum mutatam esse.

In hac materia autem fieri non potuit, quin duae quaestiones philosopho nostro se offerrent animumque eius magis magisque commoverent: quomodo dei omnium potentes esse possent, si fatum esset, et qua ratione mala vitae cum benignitate deorum conciliarentur. Prioris quaestionis nodis se expedire eius aetatis hominibus eo minus contingere potuit, quo altius vani illi de fato errores artificiosis Chrysippi

laboribus artissimisque dialecticae artis vinculis cum disciplina Stoicorum conexi mentibusque eorum infixi erant (Plut. de commun. notit. adversus Stoicos 34, 5 p. 1076 et de Stoic. repugn. 34, 2; Stein Erkenntnisth. p. 340; Gercke Chrysippea p. 699 fragm. 128—140). In Seneca quidem paene risum movere potest, cum videmus, quantopere vir tantae eruditionis doctrinaeque, quem ignorantiae tenebris discussis ab omni superstitione remotissimum putares, tam puerilem in modum usque in senectutem captiōnibus futilissimis ineptiisque astrologiae occaecatus illaqueatusque fuerit. De sorte inmota disserit, quae in aeternum fixa nulla miseria mutetur (dial. VI, 6, 2); cum dispar cuique vivendi facultas data sit, neminem nimis cito mori, quoniam diutius non victurus fuerit (ib. 21, 4); ad Lucilium scribit: „Fata nos ducunt, et quantum cuique temporis restat, prima nascentium hora disposuit ... Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas.“ (dial. I, 5, 7; cf. Chalcidii comment. in Platonis Timaeum ed. Joh. Wrobel 1876 p. 216); caelestium notitiam quidem nihil prodesse putat: nam „quid inmutabilis rei notitia proficiet? ... quid refert providere, quod effugere non possis? Scias ista, nescias: fient (ep. 88, 15). Quid ergo opportunius, quid simplicius, quam inter deum et fatum omnino non distinguere? Quod re vera et in primis et in postremis scriptis passim fit (exempli gratia dial. XII, 8, 3; de benef. IV, 8, 3; nat. quaest. II, 45). Nihilominus in postremis scriptis Senecam operam dare animadvertimus, ut rebus obscuritate involutis distinguendo lucem afferat, ut deum tamquam ex dicione liberet, eum emancipet, sui iuris arbitriique faciat. Quod primum in sexto de beneficiis libro perficere conatur (23, 1): „Adice nunc, quod non externa cogunt deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas est. Statuerunt quae non mutarent ... nec umquam primi consilii deos poenitet.“ Ratio, quae inter deos fatumque intercedit, licet fatum ipsum non nominetur, ita hic adumbratur, ut de dominatu deorum non dubitemus. Tergiversari quodammodo videtur in nat. quaest. II, 46, 1, ubi quaestione proposita,

num omnia fulmina a Jove mittantur, etiam pestifera, respondet, non omnia quidem a Jove mitti, sed sic omnia esse disposita, ut etiam quae ab illo non fiant, tamen sine ratione non fiant, quae illius sit. „Nam etiamsi, inquit, Juppiter illa non facit nunc, Juppiter fecit, ut fierent. Singulis non adest et tamen vim et causam et manum omnibus dedit.“ Cum non habeat, quod liqueat, idonea excusatione utitur adfirmans, in maiorem quaestionem se vocari, cui suus dies, suus locus dandus sit. Omnia autem transacta et composita esse videntur, prima scilicet specie, in dial. I, 5, 8: „Ille ipse omnium conditor et rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret, semel iussit.“ Omnia optime quadrant: summa rerum penes deos est simulque inexorabilis vis fati nullum facit detrimentum.

Altera quaestio erat, quomodo mala cum deorum benignitate convenirent. Frequentia locorum, quibus utrumque consociare studet, documento est, multum dubitationis cruciatusque eam rem philosopho attulisse. Primi dialogi ratum responsum, in quo aliquo modo acquiescamus, non habent. Mala adsunt, toleranda sunt, despicienda sunt, nihil amplius. „In his, inquit, quae mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio quam opinio volgi minabatur etc.“ (dial. XII, 5, 6; cf. etiam dial. VI, 5, 6). De causis malorum ante dialog. IV, 27, 1 nihil invenimus: „Quaedam sunt, inquit, quae non nocere possunt nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent, ut di inmortales, qui nec volunt obesse nec possunt. Natura enim illis mitis et placida est . . . Dementes igitur et ignari veritatis illis imputant saevitiam maris, inmodicos imbres, pertinaciam hiemis, cum interim nihil horum, quae nobis nocent prosuntque, ad nos proprie dirigatur. Non enim nos causa mundo sumus hiemem aestatemque referendi: suas ista leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.“ Vides, non deos, sed rerum naturam in culpa esse, si mala sunt. Sin autem acrius instas et interrogas, anne totus mundus cursusque rerum a

deo administrentur, deflectet fortasse dicetque: cum primam illam mundi constitutionem sibi deus proponeret, ut omnium ita hominis quoque rationem habuit; maiora autem eum tum molitum esse, quam ut ad solius hominis felicitam omnia ordinaret. Quod profecto de ben. VI, 23, 3 legimus: „Nec imbecillitate permanent (scil. in proposito), sed quia non libet ab optimis aberrare et sic ire decretum est. In prima autem illa constitutione, cum universa disponerent, etiam nostra viderunt rationemque hominis habuerunt.“ Primae igitur illius originis tenebris et caligine omnia merguntur. Quibus de causis autem deus in prima illa constitutione eiusmodi vitia admiserit, non audimus. Immo inter mundum, qui causas malorum continet, et voluntatem deorum mala detrectantium hiatus discidiumque haud parvum aperiri videtur, cum nat. quaest. VI, 3, 1 legamus: „Illud quoque proderit praesumere animo, nihil horum deos facere, neque ira numinum aut caelum concuti aut terram: suas ista causas habent nec ex imperio saeviunt, sed quibusdam vitiis, ut corpora nostra, turbantur et tunc, cum facere videntur iniuriam, accipiunt.“ Quem fugit, periculum hic imminere, ne in castra Epicureorum cursum mundi a vita deorum separantium necopinato incidat? Quod periculum certe non excogitati cuiusdam dogmatis beneficio, non contemplatione cognitioneque naturae evitavit, sed vero proprioque dei amore, qui praecipue in epistulis cernitur. Epicurum autem, qui tam anxie deos in intermundiis seclusit, talem secretam coniunctionem deorum cum hominibus admisisse, minime credendum est. Scripsit quidem de sanctitate et de pietate adversus deos (Cic. de deor. nat. I, 41, 115), in tertia epistula autem, ubi de optima vivendi ratione disserit, hoc unum de ea re dicit, nihil praestantius esse *τοῦ ὅσια περὶ θεῶν δοξάζειν* (Usener Epicurea p. 65), quomodo id fieri oporteat, nullo verbo explicans, ut non partium studio adductus Cicero l. c. adiecisse mihi videatur, lectorem librum de sanctitate legendo „ludi.“

Ut omnia, quae de his duabus quaestionibus exposui, complectar: summum ius arbitriumque deorum Seneca in postremis scriptis ita servare studet, ut et fatum iis subiciatur et malorum invidia ab iis avertatur.

Aetate provectus etiam tertiam quandam quaestionem huc referendam animo volutare coepit: quae ratio inter fatum et liberum arbitrium intercederet. In primis dialogis nulla littera invenitur. Liberum arbitrium ipsum autem primum in libro altero de ira cap. 1 leviter perstringit philosophus, ubi nihil iram per se audere dicit nisi animo approbante: „nam speciem capere acceptae iniuriae et ultionem eius concupiscere et utrumque coniungere, nec laedi se debuisse et vindicari debere, non est eius impetus, qui sine voluntate nostra concitatur.“ (ib. cf. ep. 113, 18: adsensio confirmavit hunc impetum). Similiter in septimo dialogo (3, 3) affirmat, se, quod inter omnes Stoicos conveniat, rerum naturae assentiri. In hac enim approbatione vel assensione secundum Stoicorum doctrinam libertas arbitrii posita est (cf. Cic. Acad. I, 11, 41; Alexandri Aphrodisiensis commentarius in libros metaphysicos Aristotelis ex rec. Herm. Bonitz p. 256 sq. de notione, quae συγκατάθεσις vocatur; Stein Erkenntnisth. p. 312). Quantopere autem tum quoque vanis illis de fato opinionibus animus philosophi obstrictus fuerit, ex cap. 37 secundi libri quaestionum naturalium sequitur. Definitione fati data vota salva vi ac potestate fatorum fieri contendit. Eis, quae contra dicuntur: ‚si futurum est, fiet, etiamsi vota non suscipis; si non est futurum, etiamsi non susceperis vota, non fiet’ respondet: „Falsa est ista interrogatio, quia illam mediam inter ista exceptionem praeteris: futurum est hoc, sed si vota suscepta fuerint.“ Fatum ergo etiam de votis faciendis omittendisve decernit et mirum quam obnoxia res homo est, artificiosa quaedam machinatio, in qua mens ac ratio desiderantur. Senecam sane non effugit se monstri aliquid simile effatum esse, et quantum ei dubitationis ea res attulerit, capitis insequentis verba indicant, ubi sic

tergiversatur: „Ista nobis opponi solent, ut probetur nil voluntati nostrae relictum et omne ius fato traditum. Cum de ista re agetur, dicam, quemadmodum manente fato aliquid sit in hominis arbitrio.“ (c. 38, 3). Etiam ep. 16, 4—5 quaestionem dilucide quidem ponit, sed similem in modum oratio deflectit: „Dicet aliquis: ‚Quid mihi prodest philosophia, si fatum es? Quid prodest, si deus rector est? Quid prodest, si casus imperat? Nam et mutari certa non possunt et nihil praeparari potest adversus incerta, sed aut consilium meum occupavit deus decrevitque quid facerem, aut consilio meo nil fortuna permittit.‘ Quicquid est ex his, Lucili, vel si omnia haec sunt, philosophandum est . . . Sed non est nunc in hanc disputationem transeundum, quid sit iuris nostri, si providentia in imperio est . . .“ In tanta certi ratique consilii inopia Cleanthis illo iudicio se applicat notissimo: ‚ducunt volentem fata, nolentem trahunt.‘ (Epict. enchir. c. 52). Eadem pervulgata videlicet sententia etiam in statua Cleanthis inscripta fuit, quam Simplicius Assi se vidisse affirmat (comment. in Epict. enchir. ed. Salmas. cap. 78 p. 329): „. . . *ἐπαγγελλόμενος ἄοκνος καὶ ἑκὼν ἕπεσθαι* (scil. *πεπρωμένῃ* vel *εἱμαρμένῃ*)· *ἂν γὰρ ἀντιτείνω, φησί, οὐ μόνον ὅτι κακὸς ἔσομαι, ἀλλὰ καὶ οἰμώζων καὶ στένων ἀκολουθήσω*“ (cf. Diels doxogr, p. 571; Stein Erkenntnisth. p. 329). Hanc igitur sententiam, quam in ep. 16, 5 strictim attigerat (deo libenter pareamus), in ep. 107, 10—11 toto pectore amplectitur, ubi versibus Cleantis citatis pergit: „Paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos quam se.“ Fatum ergo ita omnia regit, ut nisi in voluntaria adsensione liberum arbitrium esse non possit. (cf. Chalcid. comment. in Plat. Tim. ed. Wrobel, p. 228: „sequi porro nostrum est et a fati iugo liberum“.). Ceterum fieri potuit, ut non tam suis studiis meditationibusque quam Demetrii auctoritate perductus iudicium Cleanthis suum faceret. In primo enim dialogo (5, 5—6)

ex oratione quadam Demetrii, quatenus memoria tenebat, locum longiorem affert plenum his cogitationibus: „nihil cogor, eum inter alia dicentem facit, nihil patior invitus nec servio deo, sed adsentior, eo quidem magis, quod scio omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere.“ Etsi auctor non nominatur, tamen res ita ferre videtur, ut in tanto consensu animorum Demetrius ex libris Cleanthis nonnulla in usus suos deprompserit.

Haud veri simile est, philosophum, qui senex de difficili an animus liber sit quaestione tam intenta cura meditatus sit, de natura indoleque animi ipsius semper idem sensisse. Quid autem in animo tam potens validumque est quam discrepantia affectuum rationisque? Et de affectibus quidem ita cum vulgari Stoicorum opinione consentit, ut iam in duodecimo dialogo eos in vitiis ponat. Illic enim (c. 17, 5) doloris, sollicitudinis, afflictionis affectibus enumeratis pergit: „Nulli horum patebit pectus tuum: nam ceteris vitiis iam pridem clusum est.“ Item in tertio dialogo Aristotelis sententiam impugnans, qui eos necessarios esse voluerat, dicit: „... numquam adsumet ratio in adiutorium improvidos et violentos impetus, apud quos nihil ipsa auctoritatis habet, quos numquam comprimere possit, nisi pares illis similesque opposueris, ut irae metum, inertiae iram, timori cupiditatem. Absit hoc a virtute malum, ut umquam ratio ad vitia confugiat.“ (c. 10, 1). Severius in epistulis iudicat: „... nihil interest, quam magnus sit affectus: quantuscumque est, parere nescit, consilium non accipit. Quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domesticum et mite; natura enim illorum est surda suadenti: sic non sequuntur, non audiunt affectus, quantulicumque sunt. Tigres leonesque numquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, et cum minime exspectaveris exasperatur torvitas mitigata. Numquam bona fide vitia mansuescunt“ (ep. 85, 8). Priusquam reliqua deinceps persequar, pauca de terminis, in quibus affectus includit, inserere mihi liceat. In locis allatis, certe primis duobus, suis

finibus satis exiguis contineri videntur. Dilantantur fines in libro altero de benef. c. 19, 1; vel noxia beneficia petere affectus est: „Saepe enim, inquit, noxia concupiscimus nec dispicere quam perniciosa sint licet, quia iudicium interpellat affectus.“ Latissimum autem iis campum dat in epistulis, ubi etiam libidinem moriendi in affectibus numerat: „Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire, et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupat, libido moriendi. Est enim, mi Lucili, ut ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio, quae saepe generosos etc.“ (ep. 24, 25). Ad propositum autem revertar. Vidimus affectus et in primis et in postremis scriptis passim vitia appellari. At Seneca in hac re non acquiescit; in epistulis nova quaedam distinctio occurrit: Affectus a morbis animi secernuntur: „Quid inter morbos animi, inquit, intersit et affectus saepe iam dixi (incertum est, ubi). Nunc quoque te admonebo: morbi sunt inveterata vitia et dura, ut avaritia, ut ambitio nimia. Altius haec animum implicuerunt et perpetua eius mala esse coeperunt. Ut breviter finiam, morbus est iudicium in pravo pertinax, tamquam valde expetenda sint, quae leviter expetenda sunt... Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum.... Itaque qui plurimum profecere, extra morbos sunt. affectus adhuc sentiunt perfecto proximi.“ (ep. 75, 11—12). Ita affectus nihil aliud nisi deminutio quaedam morborum animi sunt nihilque difficilius videtur quam eos accuratius describere. Porro si parvi affectus quasi praenuntii gravissimorum malorum sunt, unde affectus ipsi ordiuntur? A naturali quodam semine an a peccato voluntario? Philosopho non omnis scrupulus exemptus et res minime ad liquidum perducta esse videtur, cum confidenter interrogat: „Quis negat, omnis affectus a quodam quasi naturali fluere principio?“ (ep. 116, 3). Quantum enim dubitationis in verbis „quodam“ et „quasi“ latere putamus? Deinde si origo naturalis est, quomodo id, quod natura genuit, in vitium verti potest? Hanc quaestionem ut

gravissimam difficillimamque animum Senecae valde excruciavisse putaverim. Affirmat quidem Th. Zieglerus (Geschichte der Ethik. Erste Abt. Bonn 1881 p. 168) neque Senecam neque alios Stoicos eam solvere potuisse. Neque omnino obloquor; quid autem pro certo haberi potest, cum tot volumina, in his moralis philosophia Annaeana, interierint? Utique si postremas epistulas diligentius excutere velis, nescio an vestigia quaedam melioris ex hoc labyrintho exitus appareant. Hic enim quasi partes suas deserere et opinionem illam de affectibus ut iniquam ita tritam deponere videtur. Inspicias, quaeso, ep. 92, 8, ubi Platonem secutus scribit: „Inrationalis pars animi duas habet partes, alteram animosam, ambitiosam, impotentem, positam in affectionibus, alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam: illam effrenatam, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro reliquerunt, hanc necessariam beatae vitae putaverunt, enervem et abiectam.“ Qui autem, interrogo, id vitiosum vel principium omnium vitiorum esse potest, in quo aliquid fortitudinis dignitatisque inest? Nonne res iam in eo esse videtur, ut philosophus vel bonos affectus admittat? Et profecto in ep. 104, 3: „Indulgendum est enim, inquit, honestis affectibus.“ Ne quis autem subita et fortuita quadam animi commotione ductum eum tam benevole iudicasse existimet, conferatur ep. 116, 5, ubi sapienti perfectoque id concedit, quod in omnibus aliis hominibus suspectum vitiosumque ducit, scilicet amorem; ad sapientiam autem omnes nati sumus (ep. 90, 1). Illic igitur dicit: „Eleganter mihi videtur Panaetius respondisse adulescentulo cuidam quaerenti, an sapiens amaturus esset: de sapiente, inquit, videbimus: mihi et tibi, qui adhuc a sapiente longe absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatem, vilem sibi.“ Et deinde pergit (§ 6): „Quod Panaetius de amore quaerenti respondit, hoc ego de omnibus affectibus dico.“ Ergo totum illud de affectibus iudicium sub finem epistularum sublatum et paene inversum est: quo quis est praestantior perfectiorque, eo

securius ei se dare eis licet, et contra eo magis eos timeat, quo deterior ipse infirmiorque ad resistendum est: non affectus sunt vitiosi, sed homines.

Existit autem hoc loco quaestio subdifficilis: Qua ratione affectus coercendi sunt? Utrum radicitus evellendi an tantum, ut ita dicam, luxuriantes eorum rami circumcidendi amputandique sunt? In hac re tractanda ut alias videbimus, quam falsa vulgata illa opinio sit, Senecam aetate provectum mitiorem lenioremque factum esse. Qui ita dicunt, legunt quidem epistulas refertas commentationibus ut illustribus ita haud raro satis frigidis, obliviscuntur autem nihil dolosius esse hac quiete, vel capiuntur suavitate locorum quorundam misericordia hominum pessimae condicionis plenorum non respicientes ad alios locos, quibus acerbissime in vitia aetatis invehitur. Res in universum decerni non potest; satis habeo, in hac re philosophum severiorem factum esse probare. Primum locum dial. XII, 17, 3 afferam. Quam humane comiterque hic matri liberalia studia tamquam remedium nimii maeroris commendat! „Itaque illo, inquit, te duco, quo omnibus, qui fortunam fugiunt, confugiendum est, ad liberalia studia: illa sanabunt volnus tuum, illa omnem tristitiam tibi evellent.“ Ne autem hoc matri pietatique datum esse putes, legas velim, quae ad Polybium scribit (dial. XI, 18, 5): „Numquam autem ego a te, ne ex toto moereas, exigam. Et scio inveniri quosdam durae magis quam fortis prudentiae viros, qui negent doliturum esse sapientem: hi non videntur mihi umquam in eiusmodi casum incidisse. Alioquin excussisset illis fortuna superbam sapientiam et ad confessionem eos veram etiam invitos compulisset. Satis praestiterit ratio, si id unum ex dolore, quod et superest et abundat, exciderit.“ Peripateticum audire te credas. Etiam nonnullis annis post haud pauca cupiditatibus concedit. In nono dialogo (10, 5) dicit: „Non sunt praeterea cupiditates in longinquum mittendae, sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur.“ Fortiorem Stoicoque digniorem sen-

tentiam tertius demum quartusque dialogus exhibent; hic aperte affectibus bellum denuntiat. Dial. III, 9, 4 eos tam malos ministros quam duces esse profitetur; nam affectus „nihil in se habet utile,“ immo vel „modicus affectus nihil aliud quam malum modicum est“ (ib. 10, 4). Inde sequitur, ut penitus exstirpandi sint. Si hanc severitatem cum illa indulgentia comparamus, dubito, num rationibus eorum nos adplicemus, qui hos libros de ira ante exsilium compositos esse coniecerunt (Jonas l. c. p. 25, Martens l. c. p. 27, Gercke l. c. p. 287) neque potius ad H. Lehmanni illam sententiam redeamus, qui post exilium eos scriptos esse statuerat (Philolog. III, p. 318). De ipsa enim temporum ratione horum librorum nihil pro explorato haberi potest, nisi quod post mortem Caligulae et antequam Novatus frater a Junio Gallione rhetore, amico Senecae patris, adoptatus est, compositos eos esse necesse est. Cum autem de tempore adoptionis nihil constet, nisi quod ante compositionem septimi dialogi librique de remediis fortuitorum, qui ad Gallionem i. e. Novatum fratrem iam adoptatum scripti sunt, facta est, in alto coniecturarum mari vagamur. Omnia enim argumenta ex interpretatione locorum singulorum in utramque partem arcessita, quas hic retractare meum non est, interdum quidem, quod haud negem, speciem quandam prae se ferunt, sed nullam persuadendi necessitatem adhibent: parum evincunt, quod nimium evincere volunt. Quae cum ita sint, meliore fortasse eventu rem nos explanaturos esse pro certo habuerim, si eam, quam equidam ingredi conatus sum, disserendi viam rationemque sequemur, confisi philosophum gradatim ad sapientiam pervenisse, re scilicet in universum considerata, ut intervallis quidem imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis cognitio doctrinaque procederet. Hoc si tenemus, facere non poterimus, quin primum ideoque omnes libros de ira aliter ac nunc fere fit ordinemus eisque locum certe post consolationem ad Polybium attribuamus.

At etiam tum aliquid affectuum residet. Paucis enim capitibus post (16, 7) Zenoni, qui dixerat, in sapientis quoque

animo, etiam cum volnus sanatum sit, cicatricem remanere, se adiungens: „Sentiet itaque, inquit, suspiciones quasdam et umbras affectuum: ipsis quidem carebit.“ In secundo libro de ira in eadem sententia permanet, omnes affectus ex animo tollendos esse, additque: „Nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat et in familiaritatem perducat assidua meditatio, nullique sunt tam feri et sui iuris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit etc.“ (c. 12, 3). Ceterum iis assentior, qui tertium librum de ira maiore temporis intervallo a prioribus disiunctum esse statuerunt (cf. Richardus Pfennig: De librorum quos scripsit Seneca de ira compositione et origine. Gryphiae 1887 p. 34; cf. Gercke l. c. p. 287). Fidem huic sententiae vix derogabimus, si duos locos, dial. IV, 4, 2 et dial. V, 10, 2, contulerimus. Illic enim legimus: „Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus“ et hic: „Facile est autem affectus suos, cum primum oriuntur, deprehendere: morborum signa praecurrunt.“ Apparet tantam sententiarum diversitatem existere non potuisse, nisi ipsum compositionis tempus diversum fuisset.

At enimvero Seneca non satis habet haec praecurrentia signa occupare affectusque in ipso ortu exstinguere atque delere: omne, ut ita dicam, fundamentum iis subducit, cum pugnam contra affectus sensim, nobis fere non sentientibus, in pugnam contra pravas opiniones commutat: in perverso mentis habitu falsisque cogitationibus causa semenque omnium malorum omnisque improbitatis cernitur. Haud difficile autem est intellectu hanc mutationem in Stoicorum doctrina niti ex eaque nasci. Nam ratio et voluntas in ἡγεμονικῷ coniunctae sunt, principale illud animi omnes eius partes in se continet. Nulla autem actio fieri potest, nisi συγκατάθεσις i. e. assensus praecessit. Seneca ipse dicit: „Omne rationale animal nihil agit, nisi primum specie alicuius rei irritatum est, deinde impetum cepit, deinde adsensio confirmavit hunc impetum.“ (ep. 113, 18). Qua re animi quoque

motus nisi adprobatio antecessit non fiunt, et quod de ira (dial. IV, 1, 4) aeque de aliis affectibus dici potest: in iudicio vel pravo vel recto fons et caput eorum est. Quid autem, si ita res se habet, prudentius, quid utilius excogitari, ubi philosophus, verus iste animorum aegrotantium medicus, maiore cum emolumento artem suam divinam exercere gratiamque totius generis humani ferre potest, quam si praecepta salutaria animis inculcat, errores eripit, mentes aegras ad sanitatem reducit? Numquid munus pulchrius grandiusque? His fere cogitationibus impletus admonitionibus rectam de bonis malisque sententiam corroborari dicit pergitque: „Illud quoque falsum est, nihil apud insanos proficere praecepta. Nam quemadmodum sola non prosunt, sic curationem adiuvant." (ep. 94, 36). Posidonio non assentitur, qui censuerat legem brevem esse oportere, quo facilius ab imperitis teneatur (ib. § 38). — Clarius sententiam explicat ep. 95, 34—35: „In hac ergo morum perversitate desideratur solito vehementius aliquid, quod mala inveterata discutiat: decretis agendum est, ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio. His si adiunxerimus praecepta, consolationes, adhortationes, poterunt valere: per se inefficaces sunt... discant, quid malum, quid bonum sit. Sciant omnia praeter virtutem mutare nomen, modo mala fieri modo bona." In eadem epistula legimus: „Actio recta non fuerit, nisi recta fuerit voluntas... non contingit tranquillitas nisi inmutabile certumque iudicium adeptis (§ 57) (cf. Ad. Dyroff: Die Ethik der alten Stoa. Berliner Studien II 1897, p. 175). Affectibus ratio opposita est. In qua describenda ita quidem semper in decretis sectae suae perstat, ut eam partem divini spiritus in corpus humanum mersam, dis hominibusque communem putet (dial. XII, 11, 7; ep. 66, 12; ep. 92, 27; *ἀπόσπασμα* Stoicorum Diog. Laert. VII, 143; Epictet. diss. I, 14; II, 8; Cornutus de natura deor. cap. 2). Munus autem, quod ei dat, non semper idem est, angusti eius fines magis magisque amplificantur. In duodecimo quidem dialogo nisi ad vitia opprimenda non valere videtur (c. 13, 3). Qui fines dilatantur

in tertio dialogo: „Non ad providendum tantum, sed ad res gerendas satis est per se ipsa ratio. Quid, quod ad actiones quoque... multo per se ratio fortior est?" (c. 17, 2—3). In septimo dialogo ratio summum bonum attingit; quicquid ex imperio suo faciet, in bonum exibit (c. 8, 5). In quarto de beneficiis libro nihil sine ratione faciendum esse contendit, ne beneficium quidem sine ea dari potest, „quoniam omnis honesti comes est" (c. 10, 2). In his igitur, quos attuli, locis ratio ob alias res, virtutes scilicet, magni momenti est, per se ipsa in nullo adhuc pretio fuit; quod in epistulis usu venit. Hic demum postulat, ut omnes se ei subiciant (ep. 37, 4), et ep. 41, 8 dicit: „Quaeris, quid sit (scil. proprium hominis)? Animus et ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo. Consummatur itaque eius bonum, si id implevit, cui nascitur." Quin etiam ipsa gradus habet: „Dociles, inquit, natura nos edidit et rationem dedit imperfectam, sed quae perfici posset" (ep. 49, 11) et rursus: „Ratio vero dis hominibusque communis est; haec in illis consummata est, in nobis consummabilis" (ep. 92, 27). Ratio perfecta autem omnium bonorum causa est: „Quid in homine proprium? Ratio. Haec recta et consummata felicitatem hominis implevit... Si hanc perfecit, laudabilis est et finem naturae suae tetigit" (ep. 76, 10).

Etiam si in singularum philosophiae moralis partium notiones inquiremus, processum quendam ad altiora tendentem haud magno negotio deprehendemus. Paucas eligere mihi liceat.

De felicitate initio vulgaris philosophiae opiniones secutus esse videtur eam inquietam, molestam, avidam, sed non iam vanam falsamque describens. Ad Polybium enim scribit: „Omnia ista bona, quae nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur eosdemque ipsos, quos exornant, et premunt. Plus minantur quam prosunt. Lubrica et incerta sunt. Numquam bene tenentur:

nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnae felicitatis tutela sollicita est" (dial. XI, 9, 5). Fruendi quidem voluptas obiter fallax appellatur, non autem ipsa felicitas eiusve bona. Dicat aliquis forte Senecam, ne Polybium, cuius fortuna in summo fastigio erat, offenderet, tam caute locutum esse, nihilque contra dicam. Animadvertas autem, quaeso, etiam in eo, qui tempore sequitur, dialogo philosophum honestas quidem eorum miserias conqueri, quibus ob clientium greges causarumque actiones vivere non liceat, sed nondum de re universa disceptare (dial. X, 7, 6 et 17, 1—4). Item de clem. I, 1, 7 in felicitatem modum excedentem invehitur, non in felicitatem ipsam: „Facit quidem avidos nimia felicitas, nec tam temperatae cupiditates sunt umquam, ut in eo, quod contingit, desinant." In septimo dialogo (c. 2, 2) veram aeternamque felicitatem a vulgari separat: „Quaeramus ergo, quid optimum factu sit, non quid usitatissimum et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid ... volgo placeat." Gravius eam insectatur ib. 14, 2: „... plurium servus est, quem felicem volgus adpellat." Quam acerbe autem, quam contemptim in epistulis iudicat! Ep. 80, 8 hoc habet: „Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est." Insignior notabiliorque hic locus est: „Miramur parietes tenui marmore inductos, cum sciamus, quale sit quod absconditur. Oculis nostris imponimus, et cum auro tecta perfudimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? Scimus enim sub illo auro foeda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue praetenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est." (ep. 115, 9). Conferas autem velim hanc verborum granditatem splendoremque cum similibus quibusdam primi dialogi (c. 6, 4): „Isti, quos pro felicibus adspicis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videris, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est et quidem

tenuis.“ Luce clarius est hunc locum illius exemplum esse, ad imitandum postmodo proprositum. Nam ut limatius dicendi genus in epistularum illo loco adhibitum omittam, argumentum nihil dubii relinquens in verbo „bracteata“ situm est. Ut enim elegantiae iudiciique est parietes crustis marmoreis exornare (ep. 86, 6 crustae Numidicae), ita ineptum insulsumque sit, idem bracteis facere velle. Cum autem verbum solum aptum iam consumptum esset, coactus et necessario aliud postea vocabulum elegit Seneca, quod ad sensum quam proxime accederet. Res ideo alicuius momenti est, quod inter viros doctos non satis constat, utrum primus dialogus ultimum an ab ultimo proximum opus Annaeanum sit. Fridericus Jonas quidem (l. c. p. 52) verisimile esse putat eum post epistulas et post quaestiones naturales editum esse et Gerckius accuratioribus rationibus initis (l. c. p. 319 sq.) non omnem dubitationem tollit. Hac autem, quam modo protuli, observatione rem explanari posse contenderim.

In eadem epistula (115, 17) felicitatem aperte miseriam vocat: „‚At felicem illum homines et divitem vocant et consequi optant, quantum ille possidet.‘ Fateor. Quid ergo? Tu ullos esse condicionis peioris existimas quam qui habent et miseriam et invidiam?“ Ultima autem epistularum ad Lucilium verba haec sunt: „Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse iam sentias: tunc habebis tuum, cum intelleges infelicissimos esse felices.“ (cf. ep. 98, 1).

In locis quoque, qui de fama et gloria agunt, excutiendis gradus quosdam sententiarum demonstrare poterimus. Quas initio aestimatione quadam dignas ducit, cum in sexto dialogo (c. 4, 4) Areum philosophum, familiarem Augusti, sic loquentem facit: „. . . dedisti operam, ne quid esset, quod in te quisquam reprehenderet. Nec id in maioribus modo observasti, sed in minimis, ne quid faceres, cui famam, uberrimam principum iudicem, velles ignoscere,“ vel cum in undecimo (c. 2, 5) bonam opinionem praedicat, quae solidior sit, quam ut eripi possit. Severius in quinto dialogo iudicat: „Conscientiae satis fiat: Nil in famam laboremus. Sequatur

vel mala, dum bene merentis“ (c. 41, 2). In ep. 31, 10 invenimus: parem deo „fama non faciet nec ostentatio tui et in populos nominis dimissa notitia.“ Verum etiam tum tantum abest, ut famam gloriamve omnino pro nihilo putet, ut aequalium quidem laude renuntiare velit, at non posterorum. Dicit enim in ep. 79, 17: „Nulla virtus latet, et latuisse non ipsius est damnum: veniet, qui conditam et saeculi sui malignitate compressam dies publicet. Paucis natus est, qui populum aetatis suae cogitat: multa annorum milia, multa populorum supervenient: ad illa respice... Si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo: tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit.“ At in epistulis animum inducit, etiam id genus famae abicere, unius sapientis tacito iudicio contentus. In locum famae „claritas“ succedit: „Deinde, inquit, claritas [non] desiderat multa suffragia: potest et unius boni viri iudicio esse contenta“ et paulo post: „si de me bene vir bonus sentit, eodem loco sum, quo si omnes boni idem sentirent“ (ep. 102, 11—12). Cum sententiis prolatis convenit, si in ep. 113, 32 exclamat: „Non vis esse iustus sine gloria? At mehercules saepe iustus esse debebis cum infamia.“

De simulatione et simplicitate quoque quas mutationes iudicium philosophi nostri subierit, quaeramus. In exilii miseriis, quod satis mirum est, vafris aulicorum artibus, quibus Polybius certe imbutus erat, indulget: „Indue, inquit, dissimilem animo tuo voltum et, si potes, proice omnem ex toto dolorem: si minus, introrsus abde et contine, ne adpareat, et da operam, ut fratres tui te imitentur; ... (dial. XI, 5, 5)“ ibidemque c. 6, 2: „Liberiora omnia sunt iis, quorum affectus tegi possunt: tibi nullum secretum liberum est.“ Ipsum autem philosophum haud ita magnis illo tempore scrupulis pungi, si simplex animi candor sine fuco et fallaciis parum lucri ferat, tota huius dialogi ratio docet. Aliquot annis post simulationem non iam in quolibet homine, sed tantum in oratore defendit: effectus orationis desiderabitur,

nisi talibus artibus niti volet. In quarto dialogo (c. 17, 1) oratorem iratum aliquando meliorem esse negat: „Immo imitatus iratum. Nam et histriones in pronuntiando non irati populum movent, sed iratum bene agentes: et apud iudices itaque et in contione et ubicumque alieni animi ad nostrum arbitrium agendi sunt, modo iram, modo metum, modo misericordiam ut aliis incutiamus, ipsi simulabimus, et saepe id, quod veri affectus non effecissent, effecit imitatio affectuum.“ (Similiter ib. c. 14, 1). Maiore severitate rem tractat in nono dialogo, ubi inutilem humanitatem vocat flere et frontem fingere, quia aliquis filiam efferat (c. 15, 5). Copiosius de eadem re in cap. 17, 1 eiusdem dialogi disputat: „Est et illa sollicitudinum non mediocris materia, si te anxie componas nec ullis simpliciter ostendas, qualis multorum vita est, ficta, ostentationi parata... nec umquam cura solvimur, ubi totiens nos aestimari putamus, quotiens adspici... At illa quantum habet voluptatis sincera et per se inornata simplicitas, nihil obtendens moribus suis.“ Umbram autem simulationis etiam hic retinet, pergit enim: „Subit tamen et haec vita contemptus periculum, si omnia omnibus patent. Sunt enim, qui fastidiant, quicquid propius adierunt... Modum tamen rei adhibeamus: multum interest, simpliciter vivas an neglegenter.“ In epistulis quidem semel quasi a se ipse deficere videtur, cum effatur: „Intus omnia dissimilia sint, frons populo conveniat.“ (ep. 5, 3). Tum vero velut rapido cursu ad veritatem simplicitatemque condendit. „Turpe est, inquit, aliud loqui, aliud sentire“ (ep. 24, 19; cf. ep. 40, 4). Simulationem bono indignam profitetur (ep. 65, 22); in ep. 75, 4 scribit: „Haec sit propositi nostri summa: quod sentimus, loquamur, quod loquimur, sentiamus: concordet sermo cum vita.“ Sincere fatetur: „Nihil simulatio proficit. Paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies: veritas in omnem sui partem eadem est. Quae decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris.“ (ep. 79, 18).

Ubi autem homines facilius ad simulandum impelluntur quam in eo studio, in quo Seneca ipse operam et oleum perdiderat, in studio eloquentiae? Quid igitur mirum, si animus eius initio pronus in alienum paulatim commutatur? Vestigia quidem quaedam amoris pristini extant, velut in sexto dialogo, ubi eloquentiam et libertatem, ob quas Asinius Polio in oblivionem coniectus videbatur, „duas res pulcherrimas“ esse dicit (c. 1, 4). Item ex verbis quibusdam duodecimi dialogi (c. 6, 2) quibus eos increpat, qui venalem eloquentiam Romam attulerint, concludi potest, in eloquentia ipsa eum tum non offendisse. Et in consolatione ad Polybium (c. 2, 5) non solum eloquentiae opera „praeclara“ vocantur, sed etiam frater mortuus laudatur, quod ea, quae parva sint, adprobare pro magnis potuerit, rursus magna adtenuare et ad minima deducere (c. 18, 4). Hic quidem paene sophistarum argutiis adhaerere videtur. In decimo quoque dialogo nihil nisi nimium eius studium castigare vult, cum exclamat: „Quam multorum eloquentia cotidiano ostentandi ingenii spatio sanguinem educit!“ (c. 2, 4). Paulo iniquius iudicat in nono dialogo inter eas res eam numerans, quae in speciem laborent et ad alienum suffragium veniant (c. 1, 3). In posterioribus autem scriptis non simpliciter de arte dicendi quaerit, sed de proposito, quod sequitur: spernit forensem et declamatoriam, probat eam, quae philosophiae servit conducitque. Disiungit utramque in ep. 14, 11: „Nam forensis eloquentia et quaecumque alia populum movet, adversarios habet: haec quieta et sui negotii contemni non potest, cui ab omnibus artibus etiam apud pessimos honor est.“ Plenius rem explicat in ep. 40, 4: „Adice nunc, inquit, quod quae veritati operam dat oratio, incomposita debet esse et simplex: haec popularis nihil habet veri. Movere vult turbam et inconsultas aures impetu rapere, tractandam se non praebet, aufertur... Quid quod haec oratio, quae sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? Remedia non prosunt, nisi inmorantur etc.“ In ep. 52, 14 nocere eloquentiam affirmat, si non rerum cupiditatem faciat, sed sui. De sua

ipsius dicendi facultate in ep. 75, 5 loquitur: „Non delectent verba nostra, sed prosint. Si tamen contingere eloquentia non sollicito potest, si aut parata est aut parvo constat, adsit et res pulcherrimas prosequatur. Sit talis, ut res potius quam se ostendat. Aliae artes ad ingenium totae pertinent, hic animi negotium agitur." Exemplar perfecti oratoris non Ciceronem vel Hortensium repraesentat, sed Fabianum Papirium: „Fabianus, inquit, vir egregius et vita et scientia et, quod post ista est, eloquentia quoque, disputabat expedite magis quam concitate, ut posses dicere facilitatem esse illam, non celeritatem. Hanc ego in viro sapiente recipio: non exigo, ut oratio eius sine impedimento exeat. Proferatur tamen malo quam profluat etc." (ep. 40, 12); in ep. 58, 6 num „disertum et elegantem, orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae" adpellat. Conicere licet, patris auctoritatem, qui Fabiani in scriptis saepius summis cum laudibus mentionem facit (controv. 2 praef. 1, 2, 9, 25; 2, 13, 18, alias), multum contulisse, ut oratoris imago, quem adulescens audiverat, tam penitus in mente senis inhaeresceret. Contra Demetrii facundiam, quamvis honorifice in septimo de beneficiis libro (c. 8, 2) commemoret, ei non satis placuisse suspicor. Illo enim loco dicit: „... virum exactae, licet neget ipse, sapientiae ... eloquentiae vero eius, quae res fortissimas deceat, non concinnatae nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis." Sine dubio permagna laus. Animum intendas autem, quaeso, in frequentes epistularum locos, ubi magnifica eius dicta proponit, de virtutibus multa verba facit, eloquentiam silentio transit. Accedit, quod in Fabiano, ut ex verbis modo allatis apparet, contrarium dicendi genus probat et eandem aestimandi rationem aliis quoque locis sequitur: postulat, ut philosophia tranquille modesteque tractetur (ep. 14, 11), ut oratio pressa, non audax sit (ep. 40, 14) et de alio quodam philosopho hoc memorat: „Audisse te scribis Serapionem philosophum, cum istuc adplicuisset: ‚solet magno cursu verba convellere, quae non effundit una,

sed premit et urget. Plura enim veniunt, quam quibus una vox sufficiat.' Hoc non probo in philosopho, cuius pronuntiatio quoque, sicut vita, debet esse composita: nihil autem ordinatum est, quod praecipitatur et properat. Itaque oratio illa apud Homerum concitata et sine itermissione in morem nivis superveniens oratori data est: lenis et melle dulcior seni profluit (ep. 40, 2)." Quibus de causis eum eloquendi genere, quo Demetrius utebatur, postea minus delectatum esse sententiamque mutavisse putaverim.

Jam ad ea philosophiae Annaeanae capita transeamus, quae ad vitam moresque aequalium pertinent, imprimisque quid de statu rerum Romanarum publicarum cogitaverit, enucleemus. Sextus dialogus in medias res ducit. Quanto amore hic veterem rei publicae formam amplectitur, quam plena est ea consolatio alti sublimisque spiritus! Sive A. Cremutii Cordi, optimi viri, demortui, qui subactis iam cervicibus omnium indomitus fuerit (c. 1, 3), sive Bruti Lucretiaeque, qui regem Romanis capitibus deiecerint (c. 16,2), memoriam laudibus celebrat, sive in Dionysium tyrannum, iuris legumque eversorem, invehitur (17, 5), sive Scipiones Catonesque contemptores vitae et mortis beneficio liberos caelo adsignat — ubique acer veteris rei publicae defensor assectatorque existit. Una quidem res permagnam admirationem habet: incertum ambiguumque de Sulla iudicium, de eodem viro, quem postea semper acerbissimo odio persecutus est (de clem. I, 12, 1—2; dial. V, 18, 1—2; de benef. V, 16, 3; dial. I, 3, 7—8; ep. 11, 4; fragm. 63). Quomodo de acerrima eius virtute in hostes civesque loqui potuit, quomodo dicere, etiam inimicos confessuros esse, bene illum arma sumpsisse, bene deposuisse? Concedo, vituperatio quaedam non deest: malitiam eius silentio non praeterit additque eum hominum odia non veritum esse: At in hac ipsa fluctuatione iudicii offendo, permirum mihi videtur, quod rem nondum iudicatam dicit, qualis Sulla fuerit (c. 12, 6). Supervacuum est, in vagis coniecturis hic laborare nodisque contorquere rem simplicem: praeter alios hic locus documento

mihi esse videtur, Senecam tum, etsi aetate firmata, nequaquam iudicii firmi certique fuisse et magis ex fluctuante quadam ingenii abundantia quam ex profundo solidoque sapientiae fonte hausisse.

At enim neminem fugere potest, hanc speciem veteris rei publicae iuvenili ardore arreptam leviter tantum animo philosophi inhaesisse: nova tempora, novi homines, tum, quod plus utrisque valet, novae hominum de temporibus cogitationes tales ignes facile restinguebant. Itaque in iis, quae tempore sequuntur, scriptis libertatis amorem paulatim in eo decrescere videmus. In duodecimo dialogo commemorat quidem Bruti minoris de virtute librum, sed nihil inde nisi quosdam locos de exilio ferendo affert (c. 9, 4 sq.) Marcellumque laudat, qui tam bene exilium tulerit, ut animum eius nihil mutaverit loci mutatio (c. 10, 1). Tredecim fere annis post vix ullum vestigium amoris pristini apparet, immo dignitas civis et maiestas populi Romani magis magisque desiderantur vel potius aperte detrahuntur obterunturque. Insignis locus est de clem. I, 4, 1 sq.: „Ille (scil. princeps) est vinculum, per quod res publica cohaeret, ille spiritus vitalis, quem haec tot milia trahunt, nihil per se futura nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur... Hic casus Romanae pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu sciet ferre frenos sq.“ Alio quodam eiusdem libri loco facile observabis, quam obliquis verbis vulnus intestinum tegat; in c. 10, 2 enim de Augusto dicit, clementia eum ad salutem securitatemque perductum esse, clementiam eum gratum ac favorabilem reddidisse, „quamvis nondum subactis populi Romani cervicibus manum imposuisset.“ Ne quis autem contra dicat, coram Nerone cum aliter loqui non ausum esse, locum quendam septimi dialogi afferam, ubi comitia despicit (c. 1, 5): „in quibus eos factos esse praetores iidem qui fecere mirantur, cum se mobilis favor circumegit,“ et de benef II, 20, 1—3, ubi Brutum minorem reprehendit, quod fortasse nomen regis extimuerit, „cum

optimus civitatis status sub rege iusto sit.“ Ex eodem libro etiam hoc intellegitur, Senecam de causis huius mutationis meditatum esse. Brutum enim corripit, quod „ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum praemium erat et imperandi et serviendi, aut existimavit, civitatem in priorem formam posse revocari amissis pristinis moribus futuramque ibi aequalitatem civilis iuris et staturas suo loco leges, ubi viderat tot milia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri“ (c. 20, 2). Neque effugit eum, causas servitutis in ipsa rei publicae tempora transferenda esse. In quinto enim de beneficiis libro (c. 16, 4—5) vehementer Pompeium obiurgat, qui ingratissimum erga rem publicam se praebuerit populumque Romanum eo redegerit, „ut salvus esse non posset nisi beneficio servitutis,“ vehementer Julium Caesarem, qui a Gallia Germaniaque bellum in urbem circumegerit et, cum plebicolam popularemque se gereret, castra in circo Flaminio posuerit, propius quam Porsenae fuissent. In eadem qua de benef. II, 20 sententia etiam ep. 14, 12—13 perstat Catonem reprehendens, quod furentium principum armis medius intervenerit: „Quid tibi vis, inquit, Marce Cato? Jam non agitur de libertate: olim pessumdata est. Quaeritur, utrum Caesar an Pompeius possideat rem publicam: quid tibi cum ista contentione? Nullae partes tuae sunt. Dominus eligitur: quid tua, uter vincat?“ Ceterum non habuit, cur de re confecta disputaret: uno alterore loco, ubi eam rem leviter tangit, excepto (velut ep. 51, 11 et 87, 41) in epistulis silentium obtinet.

At etiam Romanus esse magis magisque dedidicit. In primis quidem dialogis res gestas populi Romani adhuc studio et amore quodam prosequitur. In sexto Drusum laudat; nam „intraverat penitus Germaniam et ibi signum Romani fixerunt, ubi vix ullos esse Romanos notum erat“ (c. 3, 1); in duodecimo commemoratione dignum ducit, duas civium Romanorum colonias in Corsicam deductas esse, alteram a Mario, alteram a Sulla (c. 7, 9); undecimus haec principis verba habet: „Caesar patruus meus Drusum Ger-

manicum, patrem meum, minorem natu, quam ipse erat, fratrem, intima Germaniae recludentem et gentes ferocissimas Romano subicientem imperio ... amisit“ (c. 15, 5). Non est, cur hic de sinceritate et fide Senecae dubitemus, licet ad Polybium scribat et principi blandiatur. Etiam in quarto dialogo brevis earum rerum bellicarum memoria animum eius subit, ubi populo Romano laudi dat, quod eos fidelissimos socios habeat, quos habuerit pertinacissimos hostes (c. 34, 4). At animum intendas velim ad verba insequentia, quibus interrogat: „Quod hodie esset imperium, nisi salubris providentia victos permiscuisset victoribus?“ Nonne augurari licet, hic cogitationum contextum quasi intercisum esse, paene ipso auctore nesciente aliam sententiarum seriem desinere, aliam oriri? Jam non de propriae patriae amore, sed de societate generis humani agi? Et profecto in nono dialogo (c. 4, 4), qui prope, fortasse proxime ad quartum accedit tempore, hoc legimus: „Ideo magno animo nos non unius urbis moenibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare. (cf. ep. 102, 21).“ In hac autem re publica maioribus grandioribusque officiis satisfaciendum est, ut in septimo dialogo (c. 20, 3) sapientis personam sumens pronuntiat: „Ego terras omnes tamquam meas videbo, meas tamquam omnium. Ego sic vivam quasi sciam aliis me natum et naturae rerum hoc nomine gratias agam: quo enim melius genere negotium meum agere potuit?“ In hac nihil refert, quo quis loco natus sit: „Nulli praeclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges, exules. Non eligit domum nec censum, nudo homine contenta est“ (cf. ep. 44, 4). Hic pacis perpetuae commodis homines fruuntur: „Quid bella, inquit, et occisarum gentium gloriosum scelus? ..... Ex senatusconsultis plebisque scitis saeva exercentur et publice iubentur vetita privatim .... Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno et bella gerere gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis ac

feris pax sit" (ep. 95, 3—31), sapientia autem „genus humanum ad concordiam vocat" (ep. 90, 26). In hac denique re publica omnia mutabuntur. (cf. Schmekel l. c. p. 453; Ziegler l. c. p. 180/181; Herm. Schiller l. c. p. 595). Nihilominus aliqui amor patriae etiamtum remansit, purgatus sane emendatusque, sive antiquam Romanorum paupertatem laudibus effert post Catonom, Scipionem, Laelium Tuberonis quoque ligneos lectos et vasa fictilia commemorans omnibus saeculis duratura (ep. 95, 73; cf. dial. XII, 12, 5—7), sive Sextium patrem Graecis verbis Romanis moribus philosophatum esse dicit (ep. 59, 7; cf. nat. quaest. VII, 32, 2), sive Mucii virtutem praedicat (ep. 66, 51); Epicureos certe foribus repellit: non loqui vult de ea philosophia, „quae civem extra patriam posuit." (ep. 90, 35).

Ista societas vero „diligenter et sancte observata, „quae nos homines hominibus miscet et iudicat aliquod esse commune ius generis humani, plurimum ... ad interiorem(quoque) societatem amicitiae colendam proficit (ep. 48, 3). In amicorum autem numero quodammodo etiam servos habet. In epistula enim, quae huic proxima est, dicit: „Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi familiariter te cum servis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. ‚Servi sunt.' Immo homines. ‚Servi sunt.' Immo contubernales. ‚Servi sunt.' Immo humiles amici." (ep. 47, 1). Quid autem planius manifestiusque quam in hac re philosopho acrem occultamque pugnam cum praesumptis aequalium opinionibus subeundam fuisse? Quod complures loci testantur, velut ibid. cap. 18 legimus: „Dicet aliquis nunc me vocare ad pileum servos et dominos de fastigio suo deicere, quod dixi: colant potius dominum quam timeant.... Qui colitur et amatur: non potest amor cum timore misceri. Rectissime ergo facere te iudico, quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris: verberibus muta admonentur." Item de ben. III, 18, 21 postulat, ne quem pudeat a servis beneficium accipere. At etiam adversus suas ipsius opiniones philosopho pugnam fuisse complures,

qui tempore antecedunt, loci declarant. Caveamus enim, ne sententiam, quam de clem. I, 18 profert, eodem modo interpretemur quo eam, quam modo ex ep. 47 exscripsimus: hic castigationes servorum improbat, illic tacite admittit. Verba autem haec sunt: „Servis imperare moderate laus est. Et in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi bonique natura, quae parcere etiam captivis et pretio paratis iubet.“ Quantum hic ab impunitate servorum afuerit Seneca, quintus dialogus docet (c. 32, 1): „Magnam rem, inquit, sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus. Quid properamus verberare statim, crura protinus frangere? Non peribit potestas ista, si differetur... In hoc enim praecipue fallimur: ad ferrum venimus, ad capitalia supplicia, et vinculis, carcere, fame vindicamus rem castigandam flagris levioribus.“ Nihil amplius ergo desiderat nisi dilationem aut diminutionem poenae gravioris, ius ipsum in disceptationem non venit, immo Bonhoeffero assentiendum est (l. c. p. 99) ius vel servi cruciandi sub his verbis perspicue latere. In hac igitur re postea sententiam mutavit. Unum servis tum concedit, libertatem quandam respondendi: „Respondisse, inquit, tibi servum indignaris libertumque et uxorem et clientem: deinde idem de re publica libertatem sublatam quereris, quam domi sustulisti. Rursus si tacuit interrogatus, contumaciam vocas. Et loquatur et taceat et rideat.“ (c. 35,1.) Candidus liberalisque animus etiam in primo dialogo (c. 1, 6) desideratur, ubi dicit: „Cogita, filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia. Illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam.“ Hic enim educationem moralem, quam filio domus poscit, vernae filio denegat. (cf. Bonhoeffer l. c. p. 100). Contigit igitur quidem Senecae, praesertim in solitudine et secessu ultimorum annorum, pravis temporis ordinisque sui de servis opinionibus se liberare, sed non omni ex parte.

Idem fere in iis sententiis evenire putaverim, quas de spectaculis circi amphitheatrique habuit. Quid philosopho

gravi severoque dignius quam crudelitatem eorum insatiabilem insectari? At tantum abest, ut in primis dialogis ulla indignatione exardescat, ut in duodecimo dialogo ludos gladiatorumque certamina in levibus animi occupationibus enumeret (c. 17, 1) et in undecimo sibi constans Polybii fortunam miseretur, cui non liceat „spectaculorum varietate animum detinere“ (c. 6, 4). Neque est, cur eum septem circiter annis post multum de hac sententia destitisse putemus. Reprehendit quidem in decimo dialogo (c. 13, 6—7) Pompeium ob novum atroxque genus spectaculorum et locus plenus misericordiae iraeque est, sed diligentius inspicientem non effugiet, philosophum nequaquam in ludis ipsis, sed tantum in nimia eorum crudelitate offendere. Sententia Seneca digna in epistulis demum occurrit, ubi (c. 7, 2) legimus: „Nihil vero tam damnosum bonis moribus quam in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt... Casu in meridianum spectaculum incidi lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore adquiescant: contra est: Quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit. Nunc omissis nugis mera homicidia sunt. Nihil habent, quo tegantur... Non galea, non scuto repellitur ferrum. Quo munimenta? Quo artes? Omnia ista mortis morae sunt.... Haec fiunt, dum arena vacat.“ Hic enim animum a ludis spectandis aversum aliqua ex parte patefacit. At contra dixit Ludovicus Friedlaender (Ueber Gladiatorenspiele und Thierhetzen zu Rom in der Kaiserzeit. Rhein. Mus. X, 1856 p. 577), eiusmodi locos nonnisi ad subitas quasdam magnasque animi commotiones referendos esse ratus. (v. etiam dial. IX, 2, 13). Quam opinionem etsi iam F. Chr. Baur (Drei Abhandlungen zur Geschichte der alten Philosophie und ihres Verhältnisses zum Christentum. Neu herausg. von Ed. Zeller, Leipz. 1876 p. 431) argumentis satis evidentibus refutavit, tamen alium quendam epistularum locum afferam, unde pateat, Senecam etiam tranquillo animo in cogitatione defixum de quolibet spectaculorum genere idem sensisse. Locus in ep. 80, 1—3

exstat. Philosophus solus domi remansit, sphaeromachia omnes molestos avocavit, nemo inrumpit, nemo cogitationem eius impedit, non crepat ostium, non adlevatur velum; ecce ingens clamor ex stadio profertur et mentem in huius ipsius rei contentionem transfert: „Cogito mecum, inquit, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci. Quantus ad spectaculum non fidele et lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo. Quam imbecilli animo sint, quorum lacertos humerosque miramur. Illud maxime revolvo mecum: si corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam potest, qua et pugnos pariter et calces non unius hominis ferat, qua solem ardentissimum in ferventissimo pulvere sustinens aliquis et sanguine suo madens diem ducat: quanto felicius animus corroborari possit etc." Num quis umquam sedatiore animo in rem invidiosam cogitationes intendit? Num iustioribus causis, quam nullius pretii sit demonstravit? Sin autem ab athletarum certaminibus non admodum crudelibus, quibus Nero favebat (Friedlaender Darstellungen etc. II[6] p. 480), tam averso fuit animo (cf. ep. 15, 3 et 88, 18) quid eum de amphitheatri trucidationibus cogitavisse putamus? Nulla igitur dubitatio esse potest, quin Seneca magis magisque, licet postea se continuerit, intimo animo et corde odium implacabile ludorum conceperit.

At caveamus, ne grandius quid de eo suspicemur. Id enim recte mihi L. Friedlaender l. c. monuisse videtur, animum eius non prorsus a spectaculis abhorruisse i. e. ita, ut ea vitaret. Immo, si singulos, qui huc pertinent, locos accuratius perpendemus, vereor, ut eum, quod F. Chr. Baur l. c. p. 428 facit, Christianis aequemus, qui hunc adspectum defugiebant. Nam licet postremis vitae annis a vulgi moribus longius recesserit, dum ad gubernacula rei publicae sedebat vel sedere videbatur, hoc ei utique non licebat. In primo de clementia libro (c. 26, 2) male evenire crudelitatem ostendit: „Omnia, inquit, moesta, trepida, confusa. Voluptates ipsae timentur. Non convivia securi ineunt, in quibus lingua sollicite etiam ebriis custodienda est, non spectacula,

ex quibus materia criminis ac periculi quaeritur.“ Apparet, spectacula hic in nullam suspicionem venire; sin aliter, non timeret, ne desererentur. Idem ex nono dialogo (c. 4, 1—3) conficitur. Hic sapientem nisi sensim relato gradu et salvis signis temporibus non cessurum contendit; licet periculosum ingressu forum sit: „in domibus, in spectaculis, in conviviis bonum contubernalem, fidelem amicum, temperantem convivam agat.“ Cum ea, ad quae sapiens confugiat, omni vitio carere necesse sit, spectacula quoque nihil habere possunt, quod reprehendatur. Facile intelligitur, cum parum severe tum Seneca de his rebus iudicaret, eum spectaculis nimis indulgentem interfuisse, ut principi populoque morem gereret. At postea quoque, cum tales errores sibi eripuisset, imperare sibi non potuit, ut animum a falsa illarum rerum imagine prorsus abduceret. Quod enim genus oblectamentorum exspectabat, cum in meridianum illud spectaculum intraret? An honestum? Nonne suspicio oritur, idem alias quoque, etsi rarissime, accidisse? Quod autem gravissimum est, num unquam cives a ludorum crudelitate ad humanitatem misericordiamque apertis verbis revocare ausus est, num admonere, ut eos fugerent? Haec res similesque in causa sunt, cur Seneca singulari illa, quam animo conceperat, perfecti sapientis imagine inferior putandus sit, et cur falsum sit, eum cum norma sapientiae, quae in evangelio exstat, in pari atque eadem laude ponere: prope accessit, non attigit.

Ut summam omnium, quas exposui, rerum faciam: haud immerito Seneca conqueri mihi videtur, quod sero ad rectum sapientiae iter pervenerit (ep. 8, 3; cf. ep. 5, 1; nat. quaest. III praef. 1—2). Nam primi dialogi mirum quantum postremis scriptis cedunt ab iisque superantur. Hic demum omnia, quae in eo erant, perfecta esse et maturitatem quandam suam habere videntur. Fundamenta quidem iam antea posita erant: in honesta familia institutus educatusque erat ingenue, optimos magistros habuit, causas agere mox destitit (ep. 49, 2), fortasse quia nihil nisi facultatem dicendi ea re exercere voluerat (cf. Gaston Boissier: Le christianisme de

Sénèque. Revue de deux mondes 1871 tom. 92 p. 65), honoribus petendis non admodum distentus impeditusque fuit (cf. dial. XII, 19, 2), amplam igitur ingenii excolendi occasionem fortuna ei obtulerat. Nihilominus sapientiam eius illis annis satis immaturam, doctrinam mediocrem in rebusque metaphysicis semidocto propiorem fuisse ex primorum, quae exstant, scriptorum indole haud difficile colligitur. Ipse sibi annos inter vana studia consumpta obicit (nat. quaest. III praef. 1) et libri de motu terrae, de situ Indiae, de situ et sacris Aegyptiorum, similes populariter scripti tum compositi esse videntur. Annis insequentibus autem, cum vitae fluctibus iactaretur, cum inopinatus in exsilium eiectus eum maximum philosophiae fructum haberet, ut fortunam, quae indulgentissime pecuniam, honores, gratiam ei contulerat, eo loco poneret, unde haec omnia sine motu suo repetere posset (dial. XII, 19, 2), cum deinde subito revocatus et, ut scholion Juvenalianum, quod Probi nomine fertur, testatur (ad satir. V, 109; cf. H. Lehmann in Philolog. VIII p. 314) invitus ab Agrippina erudiendo Neroni in Palatium adductus esset, maiorem rerum humanarum prudentiam, quam hae fortunae vicissitudines dabant, ita in usum suum convertit, ut philosophiae quoque scientia augeretur. Altissimum vero perfectionis gradum, quem quidem consecutus est, eo tempore escendit, quo pulcherrima, quam in discipulo posuerat, spe destitutus maximum dolorem et sustinere et dissimulare debebat, quo ab omnibus fere desertus, mortem ante oculos habens, in otio vivebat, ut posterorum negotia ageret (ep. 8, 2). Tum demum ad eam animi fortitudinem eamque iudicandi maturitatem pervenit, quam in postremis scriptis admiramur.

Vita.

Natus sum Ernestus Albertus Spie Regimontii a. d. XVI Kal. Dec. anni MDCCCLXII patre Ferdinando matre Joanna e gente Hering. Fidem profiteor liberam evangelicam. Litterarum elementis in ludo pagano imbutus et a Meyran magistro carissimo, cuius sempiternam servabo memoriam, parentibus commendatus primum ad patriae scholam Burgensem et duobus annis post, cum novum gymnasium Guilelmianum aperiretur, huc missus sum, ubi per octo annos egregia optimorum praeceptorum usus sum disciplina. Vere anni LXXXIII maturitatis testimonio instructus academiam Albertinam Regimontanam adii ibique per decem semestria studiis me dedi philologicis, archaeologicis, germanicis. Docuerunt me uiri clarissimi Friedlander, Hirschfeld, Jeep, Jordan, Ludwich, Rühl, Schade, Thiele, Walther. Seminarii philologici, quo Friedlaenderi benevolentia receptus sum, per duo semestria sodalis fui ordinarius, exercitationibus archaeologicis, quibus Hirschfeld, germanicis, quibus Schade, philosophicis, quibus Thiele praeerat, semper fere interfui; quibus viris omnibus gratias ago debitas. Anno MXC licentiam pro facultate docendi examine publico adeptus biennii tirocinium subii, quo ad scientiam usus accederet. Posterioribus annis partim in scholis privatis partim in gymnasio magistri munere functus sum.